



RESERVADO

311

B. N. L.


872





~~#1-68~~

~~108~~



**RES.** 3//

~~also 32~~



Historia  
DE BELLO AFRICANO:

*In quo*  
**S E B A S T I A-**  
**N V S , S E R E N I S S I-**  
**M V S P O R T V G A L L I A E**  
Rex, periit ad diem 4. Aug.  
Anno 1578;

*Vnà cum*  
**O R T V E T F A M I L-**  
**L I A R E G V M , Q V I N O S T R O**  
tempore in illis Africæ regioni-  
bus imperium tenuer-

*int.*  
Ex Lusitano sermone primò in  
Gallicum: inde in Latinum  
translata,

PER IOANNEM THOMAM  
FREIGIVM D.

*Noribergæ.*

**I C I X X C I**

MCB 339046

А Т Т Е С Т А Т И  
И С С И В А С С У  
С А І Д О Т П О С Т  
Р е п р е с и я в а г и  
А т т а к т

О Ф Ф И С И  
С А І Д О Т П О С Т  
Р е п р е с и я в а г и





IOAN. THOMAS

FREIGIVS IOAN-

NI MARTINO OL-  
TINGERO

S.



TSI HISTORIA  
haec de regis Lusitani cede;  
que in Africa ante bienni-  
um contigit, per quam bre-  
vis est: multa tamen con-  
tinet & eventu inopinata & cognitione ju-  
cunda. Ut .n. de moribus Maurorum, de ge-  
nealogia regum Barbarorum, de Geogra-  
phia hic nihil dicam, (nam de his inferius  
peculiari loco necessaria quedam ad huius  
historie intelligentiam subjiciemus) ut q̄, in-  
teritus exercituū, clades regum & ducum,  
mutationem regnorum, πίνωλεθγίας multi-  
tudinis, cupiditatem et cetera vitia prin-  
cipum omittam: primò Xarifius ille, qui proa-  
vus horum Mahumetanorū regulorum fu-  
it, exemplum est hominis obscuri, sed è tenui-

A 2 fortu-

fortuna ad excelsum regiae dignitatis decus errecti. Nepotes vero ipsius inter se de regni possessione in mutuam perniciem concurrentes, docent quanta vis sit ambitionis. & regnandi cupiditatis, que homines ita transversos agit, ut fraterni amoris oblii, non recusent immania quævis perpetrare, modo aliqua dominandi spes affulgeat. Hæc Abdallam quoq; eò insania adegit, ut fratrum sanguine se respargere & parricidio manus inquinare non veritus sit, ea tantum de causa, ut fratribus è medio sublatis, tutam sibi ad regnum viam muniret. In hac igitur historia etiam illud, quod vulgaris proverbio jactatur, verissimum esse deprehenditur, nimirum fratrum iras esse acerbissimas: & ut Plutarchus ait, δεινὰ ἔναι τὰ τρυπάνων ληματά: quale illud etiam est, quod Cesarem ex Euripidis Phœnisis usurpare Cicero refert:

Εἰπερ γῳ ἀδικεῖν χρῆ, τρυπανίδος πέρι  
Κάλλιστον ἀδικεῖν: τάλλα δ' ἐυτελεῖν χρεών.  
Nam si violandum est jus, regnandi gratia  
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Accedit in rege Lusitano πολυπειρούντι, qui non necessario bello se implicans, decus regium unā cum vita misere amisit, tristemq;

tristemq; & luctuosam sui memoriam subditis reliquit. Nec vero illud de casibus & erratis bellorum negligendum est, in quibus bis peccare non licet: deg; incondita turba & magnis impedimentis lixarum, calonum, muliercularum in castra non educendis. Jam verò de causis cladis, quam Lusitanus perpessus est, locus hic quoq; disserendi esset, nisi vereri cogeremur ne, quod ab Hannibale Phormioni objectum est, idem nobis qui nunquam castra, nunquam aciem aspeximus, objiceretur. Nam (ut est apud Ciceronem lib. 2. de Oratore) cum Hannibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exul, proq; eo, quòd eius nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis, ut Peripateticum Phormionem, si vellet audiret: cumq; is se non nolle dixisset, locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de Imperatoris officio, & de omni re militari. Tum cum cæteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati: quærebant ab Hannibale, quidnam ille ipse de illo philosopho judicaret. Hic Pœnus, non optimè Græcè, sed tamen liberè respondisse fertur, Multos se deliros senes sàpè vidisse, sed qui magis

quam Phormio deliraret, vidisse neminem.  
Neque me hercule injuria. Quid enim aut  
arrogantius aut loquacius fieri potuit,  
quam Hannibali, qui tot annos de imperio  
cum populo Rom. omnium gentium victore  
certasset, Græcum hominem, qui nunquam  
hostem, nunquam castra vidisset, nun-  
quam deniq; minimam partem ullius pu-  
blici muneris attigisset, præcepta de re mi-  
litari dare? Quæ quanquam ita se habent:  
quid tamen prohibet hominem in umbra  
educatum, & militaris sudoris ac pulveris  
expertem, de preceptis rei militaris inge-  
nii exercendi causa, ex eruditorum homi-  
nū monumentis differere? Præcipiunt igit-  
ur Tactici, ut ante congressum prælii sin-  
gularis cura delectus & commecatus; in ipso  
verò prælio virium, loci, ordinis & cohorta-  
tionis ratio in primis habeatur. Etsi autem  
ex hac historia appareat, Regi Lusitano co-  
tem illam militaris fortitudinis, quæ in co-  
hortatione consistit, minime defuisse: cete-  
ra tamen omnia Abdelmeleco, illius ad-  
versario, prolixiora & abundantiora affu-  
erunt. Nam in delectu militum veterano-  
rum & quidem sclopetariorum, quos Man-  
ris opponere debuerat, planè improvidus:

& à

& à commentu adeò imparatus fuit, ut  
multifame in ipsius exercitu exticti sint.  
Tam malignè autem stipendum militibus  
solvit, ut mirum sit tam paratis eos ad pre-  
liandum animis fuisse. Deinde quod ad  
ipsum congressum attinet, viribus Maurus  
(Lusitano longè superior fuit; & locus ipse  
(utpote excelsus) vice multorum militum  
pro Abdelmeleco pugnare visus est, præser-  
tim cum ventus quoq; & Solis splendor Lusi-  
tanis copiis adversi essent. Quin & lunata  
illa Geometricæ figuræ acies, qua quadra-  
ta Lusitani acies circumventa est, ordinis  
indiligentiam exprobrire regi videtur. Ut  
omittam omina, è colloquio regis Hispani, &  
principum suorum cum dehortantium vo-  
cibus captata, quæ non obscuram significa-  
tionem adversi eventus præbuerunt. Sed  
animo cupienti & suis consiliis innixo, ut  
nihil satis festinatur, ita etiam frustraceu  
surdo fabula canitur. Nam verò tria exem-  
plarium Regum, eadem propè hora, vario  
mortis genere defunctorum, præcipue in  
hoc misero theatro aspectabilia sunt. Mu-  
leius Mahametus, autor tot tantorumq;  
malorum, prostratis undiq; copiis fugæ se se-  
mandans, dum fluvium Mazagam traji-

cere conatur, ab equo ex cæno eluctante  
excussus, in lutulento aquæ gurgite sub-  
mersus periit. Rex Sebastianus pugnans  
crebris ictibus contusus occubuit. Abdelme-  
lelus debilitato per lactis coagulati esum  
stomacho, in castris obiit, non absimili mor-  
te Antonini Pii, qui (ut refert Capitolinus)  
cum Alpinum caseum in cæna edisset avi-  
dius, nocte eum rejecit: & sequente die fe-  
bre commotus, tertia die quasi dormiret,  
spiritum reddidit. Jam exemplum impla-  
cabilis in Mahametum mortuum & exen-  
teratum odii, morem illius populi, antiquū  
guidem illum, sed adhuc hodie usitatum in-  
dicat, quo solebant mortuorum cadavera  
sale condire, ut ea à putredine conserva-  
rent: que ideo veteres Græci τιτανίευμα  
vocant, & eo verbo Herodotus sàpè utitur;  
sicut & Diodorus Siculus lib. 2.

Sed de proœmio satis. Hunc autem no-  
vum partum ut tibi, mi Oltингere, inscri-  
berem, fecit nostra amicitia, purè sincereq;  
& sine omnifoco multis annis per nos sum-  
ma constantia conservata: & eiusdem lin-  
gue Gallicę studium, quod à me per vigin-  
ti propemodum annos intermissum, tu per-  
petuis exercitiis tueris. Vides igitur quibus  
studii

studiis me oblectem, quibus rebus otium (cuius Cato quoq; rationem reddendam dicebat) cum à publicis privatisq; negotiis respirandi occasio datur, fallam. Ad hoc autem transferendi munus, tres viri præstanti & singulari virtute & doctrina me adhortati sunt: Hieronymus Paumgartnerus septemvir & scholarcha: Joachimus Joachimi F. Camerarius Medicus, & Christophorus Scheurelius prætor. Tu his mecum benè fruere: & mei memoriam sartam tecum conserva. Vale. Dat. Altorfii, Calen. Maii, anno cīs 12 xxc.

**T**u que, Solis equos sinuoso tramite fessos  
Tellus, Oceanis salcis procul excipis undis,  
Et redditurū iterum mergis sub gurgite Phœbum.  
Hesperiis habitata viris: qua queris ab armis  
Insanam laudem, spoliis, auroq; superbam:  
Aspice nigranti rorantes sanguine vepres  
Atlantis quā celsa jacent juga, quaq; patescunt  
Larissa campi, quos undis MaZaga largis  
Præterit, & ripas undanti sanguine pulsat.  
Cernis enim auspiciis minimè felicibus illuc  
Bellantum nuper tria cassa cadavera Regum.  
Magnanimūm q; ducum, quos & Mavortia facta  
Et genus ex alto deductum sanguine regum  
Nobilitat: turbam obscuram quoq; conspicis illis  
Dispersam campis, animam misere exhalantem.

Quid non designat demens discordia, fratres  
Immergens diris odiis, animoq; venena  
Subjiciens? stultusne homines sic incitat error,  
Ut cupiant aliena sequi, propriisq; relictis  
Appetere infidis obnoxia sceptra tyrannis?  
Magna exempla vides, venturi nuncia casus,  
Ni sapis, atq; intra pellem te contrahis arctam,  
Desinis & seva glutire cupidine regna.  
Hic fluvii rapidis Mahometus mersus in undis,  
Et frusto lactis patruus sua fata coacti  
Accelerans, stomachi fractusq; exinde dolore:  
Rexq; tuus moriens alienis ad vena terris,  
Languida dum firmis Mauris interserit arma:  
Te docuisse queunt, nimium ne magna sequaris,  
Sed medium tuearis iter: tutissima vives,  
Si te nulla via deduxerit orbita recta.

Ille caput miserum, ceu flos succisus aratro,  
Demittens: ille in proprio se sanguine turpans,  
Ah miser, ah Mauros fecit clarescere campos  
Herois letho, dextraq; opibusq; potentis!  
Heu quantum cladis regnandi dira cupido  
Affers, sollicitans dira irrequietag; corda!  
Hic triplices acies de magno culmine rerum  
Congressa, & creperum meditata jure duellum  
Ambiguo, everiunt natura dulcia acerbum  
Nomina per Martem: nam dira mente nepotem  
Invaserit patruus: cum nigris insuper albi  
Conseruere manus. Ne quicquam scilicet illis  
Opposuit natura maris tot provida fluctus.  
Ergo fragor sequitur, plumbiq; è grandine nimbi,  
Quos onerata levi cum pulvere machina rimis  
Exput,

Expuit, & glandes vacuas jaculatur in auras.  
Ictibus interea responsat Mazaga crebris;  
Et tumidas undas (res dira atq; horrida visu)  
Insicitur rubro longè lateq; colore. (hauris  
Hinc clamorem hominū, fremitum istinc auribus  
Campo insultantū atq; jubas jaētantium equorum.  
Cernis & hic acies, illuc etiam ordine rupto  
Perfractas, totis castris pecudesq; virosq;  
Palantes, alios tremulis in sanguine plantis  
Lapsantes proprio, vel viscera rupta trahentes:  
Lapsa trium quoq; cernis humi diademata Regū.  
Quisnam magnanimo regi persuasit, ut ipse  
Infidos Mauros ferro tentaret inertis? (deīm  
Quām pia cura Deūm? non hanc prannūcia cla-  
Signa è sublimi (si mens non lava fuisse)  
Dixerunt spēcula? an cauda cādente Comētes  
Falsus erat vates splendenti extensus in aula  
Cœlestis regni? an cassus fide, deniq; mendax?  
Quo vix quisquā aliis per secula multa tremendo  
Sydere maior erat: nullus qui crine resulfit  
Longior, aut cauda luxit mage deniq; densa.  
Sed quā fata vocant, Divūmq; aeterna voluntas.  
Illac pergendum est miseris mortalibus usq;  
Vnde etiam varii cœca deliria menis  
Casus, & duri comitantur fulmina lethi.  
Heu quos tunc patriæ gemitus, quos undiq; luctus  
Conjugibus pariet Mauris rex casus in arvis?  
Ille patrem, illa suum lugebit nocte profunda  
Sola thoro gelido conjunx viduata, maritum:  
Ante suum tempus tristes quoq; fata parentes  
Urgebunt, charis orbati hoc turbine natis.

Vndiq;

Vndiq<sub>3</sub>, fœdato vultu, scissisq<sub>3</sub>, capillis  
Luētus erit, plangens immittibus ubera palmis.  
Felix qui proprii contentus limite regni,  
Tranquilla populos, placidaq<sub>3</sub>, in pace gubernat:  
Et pietate suos cives & legibus ornat.  
Hunc non discordes vexans contentio fratres  
Elicit è patriis laribus, sed tutus in aula  
Pacata multos, nulli gravis, exigit annos.  
Cumq<sub>3</sub>, his terrenis anima hec ingloria vinclis  
In superas rursus dimissa emerserit oras,  
Æterna assequitur cœlestia pramia vita,  
Inceditq<sub>3</sub>, inter cives, animasq<sub>3</sub>, beatas  
Elysii campi, longa comitante caterva  
Felix, ambrosia satura & de nectare vivit.

## GENEALOGIA REGVM MAROCENSIVM ET FES- SANORVM.

Muleius Xarifius.

Muleius Mahometus Xequus.

---

Abdal- Abdelmu- Abdelme- Hame-  
las. nen. lecus. tus.

---

Mahometus. Banacar. HaZar.

| Ismaël.

Xequus.

HISTORIÆ  
DE CÆDESE  
BASTIANI, RE-  
GIS LVSITA-  
NIÆ,

CAPVT I.

DE ORTV ET FAMILIA RE-  
GVM MAVRITANIAE, QVAM HODIE  
Barbariam vocant: & de causis bel-  
li per Sébastianum Re-  
gem suscepti.



IVS familie & prosapia, que inter  
Barbaros hodie regium decus tue-  
tur, autor & primus in eadem Rex,  
fuit Maurus quidam Mahometanae  
religionis, nomine Muleius Maho-  
metus Xequius. Huius pater Muleius Xarifius,  
cum in patria Mecha, Maurorum princeps (ut-  
pote ex damnati & execrandi pseudoprophetæ  
Mahometi sanguine & stirpe ortum ducens) ha-  
beretur, immensam vim pecunia & thesauros in-  
gentes accumulavit. Is somnio nescio quo motus,  
occasionem e sua patria & familia demigrandi,  
& se una cum suis rebus in Africam conferendi  
arripuit. Itaq; ut, quod secum constituerat, in ef-  
fectum deduceret: Mecha cum unico, quem mo-  
do diximus, filio egressu: & tota Egypto, Afri-  
caq;

caq; aliisq; regionibus Turcico imperio subjectis,  
peragratiss: venit in eam Mauritania regionem;  
quam hodie regnum Susorum appellant. Hic igitur  
Muleius Xarifius, cum, inter Barbaros Mayros  
magnum (quod ad sectam & religionem ipsorum  
attinet) sapientiae opinionem consecutus, et per pro-  
vincias Mahometico dogmate pollutas, insignem  
famam adeptus esset: gratiam quoq; & favorem  
Alarbū (qui in Barbaria ista degunt) naelitus est:  
in primis vero eorum qui regnum Susorum inco-  
lunt. Hinc accidit, ut brevi temporis spacio mille  
circiter clientes equites consecutus sit: ut taceam  
magnum numerum ambactorum & servorum, qui  
cum sequebantur, & equis armisq; juvabant. Ho-  
rum et aliorum plurium, qui postea se illi adjunxe-  
runt, auxilio, aliquot urbes eius regni occupavit &  
suo imperio subjecit. In omnibus vero expeditioni-  
bus filium suum Muleium Mahometum Xequum  
circumduxit, ut populi bello superati in verba eius  
jurarent, & se, que fideles subditi dominis suis pra-  
stare consueissent, facturos promitterent. Et quidem  
interq;, pater & filius, rerum suarum ita satagere  
soliti sunt, ut brevi temporis spacio eas opes & vires  
acquisiverint, ut Turodantum regni Susiani caput  
viceperint, ibi q; filius Xequus provincia illius Rex  
constitutus sit. Hac Victoria novi regis potentiam  
& animum maximopere auxit. Itaq; ordinari-  
am validamq; legionem octo millium hastatorum  
instituit, ea mente ut civitate Marocum, cui tum  
Marini imperitabant, tentaret. Quamobrem re-  
licto Susis patre, qui jam senecta fractus rebus ge-  
rendis

rendis inutilis evaserat, Marocum obsidione cinxit, quingentis sclopetariis & hastatorum septem milibus secum adductis. Duodecimo die urbem deductione cepit: occupatisq; aliis urbibus & castellis Maroco vicinis, nomen et titulum Regis Successorum & Maroci sibi desumxit. Paucis diebus post, ingenti exercitu coacto, obsedit urbem Fessanam, quam nemine resistente, solo ingentis exercitus, terrore cepit: rege ejus (qui Claudi nomen habebat) fuga sibi considente, & in urbem Tlemessianam (qua eius imperium parebat, Turcicis armis adhuc intacta) se recipiente: in qua etiam breve tempus visa, quod illi superfuit, consumxit. Xequus autem quam primum Fessanus Rex est designatus, omnes eius regni urbes & pagi in verba eius jurarunt, & fidei eius se commiserunt: idemq; aliae vicina gentes fecerunt, ultra se illi subiectentes, & victoriam sine sudore & sanguine tradentes. Limites autem & termini regni illius sunt, ab Oriente Tlemissa (qua hodie Turcis paret) & ultra montis Atlantis (qui hodie Clarins dicitur) juga, versus meridiem linea, qua per provinciam Figigam obliquè usque ad Zaharam (urbem à rege Lusitanie captam) & hinc versus occidentem, quadraginta leucarum spacio à litoribus maris Atlantici seu Oceani, respiciens insulas Fortunatas (quas hodie Canarias vocant) tendit. Ab occidente litora & promontoria Aguesii, Casi, Azamora, Sala, Larisse, Letuanis, omnes urbes regni illius limitaneæ, usque ad frenum Herculeum, versus Centam, Penonem &

Melil-

Melillam (quas hodie Catholicus Hispanie Rex possidet) & hinc Tremissam usq;. Toti huic regio- ni longè latèq; Muleius Mahometus Xequis imperitabat, & patre paulo post mortuo solus imperium tenuit, fuitq; primus ex illa familia Mauritanorum Rex.

## CAP. II.

DE LEGE, QVAM IN PROCE-  
RVM CONCILIO MULEIUS MAHAME-  
tus de successione suorum filiorum &  
regni inter eos post mortem su-  
am divisione sanxit.

**M**uleius Mahometus cum postea summo in  
otio & tranquillitate multos annos re-  
gnasset, cuperetq; ut regnis à se partis filii pacificè  
uti frui possent: proiecta jam atate & annis gra-  
vis, constituit principes ac satrapas provinciarum  
sibi subjectarum convocare, ut ipsorum potissi-  
mum consilio de successione liberorum suorum  
maturius & prudentius statueret. Etsi autem  
magnum eorum numerum habuit tam legitimo-  
rum quam naturalium: de illis tamen duntaxat  
hic sermo à nobis instituetur, qui eius regni tur-  
barum & tumultuum causa extiterunt: qui qui-  
dem numero quatuor fuerunt. Equibus maximus  
natu, legitimo conjugio ortus, dictus fuit Mu-  
leius Abdallas: secundus & ultimus è legitimis  
appellati fuerunt Muleius Abdelmunen & Mu-  
leius Abdelmelecus: ultimus & minimus natu o-

rnium, notus erat, nomine Muleius Hametus,  
qui hodieq; regnum obtinet. Cum itaq; ad concili-  
um regni proceres in civitate Marocense (qua re-  
gis sedes erat) convenissent: & rex negotiorum in  
conventu principum proposuisset: consentientibus  
suffragiis decretum factum est, ut filii regis sibi  
invicem secundum atatis gradus succederent, ut  
ita ad omnes jus regni perveniret, & dissidiorum  
contentionemq; occasio omnis tolleretur. Hoc de-  
cretum, per principes factum, Rex amplexus est,  
& sua autoritate confirmatum, iussit inviolabile  
ad posteros servari: tantumq; perfecit, ut princi-  
pes & primores regni jurarent se operam datus,.  
ut id ratum in perpetuum permaneret. Nec verò  
principes tantum, sed & regii liberi idem jura-  
runt: nemo enim erat qui huic legi refragaretur,  
aut in contrariam sententiam iret. Quamobrem  
factum est, ut Muleius Abdallas (quod maxi-  
mus natu è filiis regiis esset) statim in castris prin-  
ceps & heres omnium paternorum regnorum no-  
minatus fuerit, omnesq; in eius verba & obsequi-  
um jurarint. His rebus sic constitutis, cum Rex  
vetulus pro sua consuetudine in Marocense urbe  
se teneret, novum principem ad Fessani regni ad-  
ministrationem, potentibus id alioqui provincie  
illius hominibus, dimisit. Hic cum Fessam perve-  
nisset, & à civibus comiter exceptus esset: provin-  
cie illius administrationem leniter & humaniter  
auspicatus est, blandum & comem provincie eius  
incolis se præbens, & multò leniora humanioraq;  
in posterum promittens. Diebus aliquot post rege

Muleio Mahameto Xequo in summa pace flo-  
rente, contigit in eius provincia tumultus, qui e-  
um coëgit exercitum colligere & in solecentes re-  
primere. Omnibus ad eam rem necessariis compa-  
ratis, egressus Maroco cum multis equitibus et pe-  
ditibus sclopetariis, Susa versus perrexit. Cate-  
rūm paucis diebus ante, quingenti Turca Tre-  
missa ad venerant cum duce suo ( quem lingua  
sua vocant Alcaidam ) qui se è præsidio Tremissa-  
no fugisse simulabant: sed re vera id agebant, ut  
Regem Marocensem ( id quod accidit ) è medio  
tollerent. Nam cum Marocum venissent, Rex, qui  
eos ad supprias sibi ferendas adesse putaret, jus-  
sit ut statim stipendium illis numeraretur, seq; ad  
bellum Susianum sequerentur. Illic cum rege e-  
gressi, magnoq; itinere eum Susa versus comitati:  
in limitibus duorum illorum regnum, consilia  
interficiendi ipsius accelerarunt. Itaq; cum se ne-  
scio quid ad regem referre velle simularent, ex  
promissimis audacissimisq; quibusq; circiter quin  
decim aut viginti prætorium ingressi, regem ( quæ  
insidiis opportunū nacti erant ) occiderunt, mor-  
tuοq; caput præciderunt. Res iam repentina, ino-  
pinataq;, inter Turcos & Mauros ( quorum illi  
Turcici Imperatoris, hi Muleii Abdalla rebus  
studebant ) ingentem tumultum in castris exci-  
tavit: devenitq; res tandem eo, ut intra horæ spa-  
ciū plus quam mille Mauris occisis, non plus quam  
quinquaginta e Turcis occubuerint. Qui cum se  
summa vi urgeri à Mauris cernerent, propu-  
gnando & se defendendo in sylvas densissimas &

caues montium asperimas se receperunt. Sed cum & illic à Mauris oppugnarentur, frustraq; seniti & defensionem parare animadverterent: & ipsos commeatus etiam desicere jam inciperet: septem cados tormentarii pulveris sibi circumpositos incenderunt, miserabili incendio se potius perdere, quam in manus hostium Maurorum venire volentes.

Caterum & regius exercitus Marocum reverti coactus est, ubi princeps Mulcenis Abdallas (et si istum in urbe Fessana erat) denuò rex renunciatus est. Sed is quam primùm de morte patris rescivit, Fessa egressus est: cumq; se regem ferret, nulla provincia fuit, quæ cum libenti animo non exciperet. Itaq; hac de causa paucis diebus post ingentem exercitum plurimarum nationum (quæ suam operam illi deferebant) contraxit: cum quo Marocum progressus, à civibus summa cum letitia, honore & gratulatione est exceptus. Nam & vivente adhuc patre subditorum suorum amorem ac benevolentiam singularem senserat, & eandem postea quoque eo mortuo sensit: quod quamdiu vixit, nihil aliud nisi auream pacem ac suorum populorum tranquillitatem spectare, eosq; sine omni malescio felices & beatos conservare satageret. Qua de causa tantum opū ac divitiarum, quantum eorum regum, qui ante ipsum vixerunt, vix alius quisquam collegit. Ita Abdallas solus regnavit annos aliquot, sedemq; regiam habuit alternis, uno anno in Fessana urbe, duobus in Marocense, donec cum sibi successorem

& heredem designavit, de quo mox plura dicimus.

### C A P. III.

DE M V L E I O A B D A L L A , Q V I  
C O N A T V S E S T S V O S F R A T R E S I N -

terficere, ut sibi in regno succederet filius  
Mahametus : ideoq; tribus fratribus oc-  
cisis, cæterisq; fuga elapsis, filium  
suum regni successorem  
nominavit.

### HISTORIA BELLI.

C Vm Abdallas longo tempore in summa  
tranquillitate regnum administrasset, so-  
lusq; nemine impediente, imperio & summa pote-  
state usus esset : legem, quam pater cum regni pro-  
ceribus promulgarat, qua filii per etatis ordinem  
deinceps à maximo natu iuque ad minimum ad  
regni successionem vocabantur, tollere & anti-  
quare secum constituit. Et quanquam Abdallas  
hac consilia cum familiaribus, quibus plurimum  
fidei habebat, clam & secretò coquebat : nihilomi-  
nis tamen res tandem fratribus innotuit : quo-  
rum aliqui de vita sua solicii, & ne insidia sibi  
struerentur timentes, regno excesserunt, ut Ab-  
delmunen & Abdelmeleucus, qui non sine ingenti  
periculo, quod illis à fratribus Abdalla servis insidi-  
antibus in itinere imminebat, Tremissam perfuge-  
runt. Illic appulsi, comiter à Turcis, ut regii san-  
guinis adolescentes, excepti sunt : pauloq; post Ar-  
geltam,

geliam , ut ibi sub Imperatoris Turcici tutela tu-  
rius degere possent , se receperunt . Muleius Abdal-  
las , cum ( ut diximus ) secretò cùdem fratrum suo-  
rum agitaret , ut suis liberis regnum tuò trade-  
re posset , audiretq; illos fuga sibi salutem quasivis-  
se : dissimulato suo stomacho ( magnam enim ex  
ipsorum fuga molestiam capiebat ) ne reliqui fra-  
tres eodem metu percellerentur , sine mora omnes  
suas copias coègit , eo prætexit , quasi ad urbem Fes-  
sanam ire cogitaret . Itaque positis primò ante ur-  
bem Marocum castris , & his paulò pòst mortis ,  
quasi Fessam iturus , cum audisset suos fratres ad  
se visendum venire : relicto minimo fratre ( cuius  
puerilem etatem contemnebat ) expectavit eos iti-  
nere quatuor ab urbe Fessana dierum . Cum itaq;  
convenissent , interq; se consalutassent : accidit ut  
paulò pòst nihil mali suspicantes , nihilq; insidia-  
rum metuentes , immani crudelitate omnes tres in  
tentoriis suis decollati sint . Quæ res animos Ab-  
dalla subditorum non leviter pupugit , sed summo  
dolore affecit , quem tamen dissimulare coacti  
sunt . Hoc tam tragico facinore patrato , Fessanum  
iter confecit , eo animo ut Muleium Mahometum  
filium suum principem & unicum reguorum suo-  
rum heredem Fessanis obtruduceret , illosq; in ipsius  
verba jurare cogeret . Nam et si alios quoq; libe-  
ros , & quidem imperio digniores , haberet : tamen  
& quia hic natu maximus esset , & eius rei alias  
quoq; causas haberet , eum sibi potissimum successo-  
rem optabat . Itaq; quam primum Fessam venit ,  
principum regni concilio coacto , rem cò deduxit .

ut filio fidem dederint, & in eius verba jurarint: magis metu coacti, quam amore aut benevolentia erga principē, aut jure eius, quod in regno praten-dere posset, adducti. His confectis, cum rem pro suo voto sibi successisse videret: ut deinceps in tranqui-llo otio, prope jam etate fractus, degere posset, Ma-xocum cum exercitu rediit, relicto in urbe Fessana filio, ut eam provinciam suis auspiciis gubernares.

## C A P. IV.

D E M A X I M O N A T V E X F I-  
L I I S X E Q V I F V G I T I V I S P E R I N S I-  
dias trucidato, deq; gratia qua alter in Im-  
peratoris Turcici aula floruit: deniq;  
de morte Muleii Abdallæ & filii  
cius Mahameti succes-  
sione.

**H**oc rerum statu in Barbaria existente, cum duo fratres, ad evitandum fratri Muleii Abdalla furorem, se Argeliam contulissent: acci-dit ut minimus ex illis natu Muleius Abdelmele-cus Constantinopolim iret. Is in ea urbe, tali dex-teritate arma tam mari quam terra tractavit, ut cum magnanimus, fortisq; & corporis viribus pra-stans esset, in sui amorem plerosq; pelliceret: per res strenue gestas, vioriasq; de hoste partas, magni nominis famam non solum apud populum, sed & apud ipsum Turcarum principem consequeretur. Quae res et summam illi gratiam, honoremq; bene-  
volentie plenum, conciliavit: & opes immensas pe-  
rit.

perit. Ut taceam quibus quantisq; promissis eum  
Turcicus Imperator onera verit, quantumq; spem  
illi fecerit de reducendo ipso in paternum regnum;  
è quo fratris injuria depulsus fuerat. Ceterū Mu-  
leius Abdemuñen, qui se Argelia tenebat, adeò  
simplici ingenio fuit, ut fratris Abdalla persuasū  
Tremissam redierit: quò Muleius Mahometus tres  
sicarios submiserat, qui cum de medio tollerent.  
Quae res sane ex voto illi successit. Nam cum illi si-  
carii Tremissam venissent, ita Abdemuñi oculos  
adjecerunt, ut eum die quodam Veneris in templo  
precantem, sagitta sauciarint: quo vulnere biduo  
post, nullo insidiarū scelerisq; autore cognito, mor-  
tuus est. Abdelmeleucus postquam Constantinopoli  
de fratris morte cognovit, summo dolore affectus  
fuit. Quae causa fuit, ut Solymannus, Turcicus Im-  
perator, ad regnum suum recuperandum suspecti-  
as ipsi promitteret. Sed quò minus id promissum  
conficeretur, obstitit mors Sultani Solymanni, que  
paulo post secuta est. Ceterum cum ad imperium  
pervenisset Sultanus Amurathes (qui hodie Tur-  
cis imperat) Abdelmeleucus plus gratia & fidei,  
quam unquam antea, obtinuit. Circa idem tempus  
Muleius Abdallas morbo correptus, cum eius vim  
ferre nō posset, triduo post in urbe Marocense mor-  
tuus est. Decessus eius per triduum occultatus fu-  
it, ut interea Muleius Mahometus (qui tum in  
urbe Fessana erat) certior fieret de patris morte:  
neve patrui eius, si prius de morte fratris Abdalla  
cognovissent, Marocensis urbis (in cuius possessio-  
ne regni summa consistebat) principes se ferrent.

Ceterum duos fratres Mahameti, et si juniores ipso maiore tamen benevolentia subditi persequuntur. Is itaq; cum de morte patris nuncium accepisset, statim se regni Fessani regem pronunciari iusserit: & sine mora cum copiis egressus, Marocum totius regni caput & metropolim pervenit: ibi q; in vito licet populo, regiam dignitatem assumuit, nemine resistente aut impediente, excepto solo fratre Mulecio Banacare: quem tamen mox regio solio occupato, vita privavit. Alterum vero fratrem Mulecum Hazarem in carcerem coniicit: misitq; certos homines, qui patruum omnium natu minimū (qui tum Tastileti degebat) trucidarent. Sed is intellectis insidiis, fuga sibi salutem quæsivit, Tremissamq; cum regia suppellestile se contulit. Ita manibus sicariorum elapsus, viam ad regnum sibi aperuit. Est enim ille ipse, qui hodie regū decus apud Barbaros obtinet, nomine Muleius Hametus.

### CAP. - V.

DE MVLEIO ABDELMELECO, QVI CVM IN TVRCIA DE MORTE Abdallæ fratribus, & occupato per fratribus filium regno inaudisset: Tremissam cum magnis copiis, per Turcicum Imperatorem suppeditatis venit, & fratribus filium devicit.

Mors Abdalla & reliqua que in Mauritania acciderant, citò in Turciam allata sunt

sunt: cumq; Muleius Mahamerus ea, que ad re-  
gni sui statum stabiliendum necessaria sibi vide-  
bantur, summa diligentia constituisset: eodem  
tempore Abdelmeleucus eam adhibuit diligentia-  
m, ut paucis diebus Argeliam cum mandatis  
Turcici Imp. perveniret, quibus continebatur, ut  
duces qua necessaria ad bellum essent, ipsi suppedita-  
rent: statimq; paratos & in procinctu habuit  
quinquies mille sclopetarios, tam Turcos quam  
Azugas, viros bellaces, & in re militari armisq;  
perexercitatos. Cum his perrexit Tremissam, as-  
sumto in itinere Alarbum equitatu tanto, quan-  
tum consequi & colligere potuit. Tremissam ubi  
pervenit, per honorificè est exceptus, ibi q; ut ad  
bellum necessaria compararet, sex diebus substi-  
tit: cumq; fratre juniore Hameto illic invento,  
duodecim hastatorum millia & quadringentos  
equites sclopetarios, strenuos & electos milites co-  
egit: summisq; secum Tremissa duodecim campe-  
stria tormenta, una cum commeatu & munitioni-  
bus reliquis. His copiis instructus, ad urbem Fessa-  
nam occupandam perrexit. Muleius verò Maha-  
merus (qui tum Maroci erat) et si de conatibus  
patrui certior fiebat: ita tamen eum contemebat,  
eiusq; copias præ sua (quam putabat) potentia de-  
spiciebat, ut nulla eius rei cura tangeretur, donec  
seriam rem agi cerneret, & Abdelmelecum suas  
copias Tremisse jam coëgisse cognosceret. Itaq;  
rum festinanter & tumultuariè contractis copiis,  
intervallo unius leuca seu bis mille passuum à Ma-  
roco castra posuit, iussitq; omnes regnum suo-

rum subditos convenire , rumore sparso , quas  
Christianos Tingitanos adoriri vellet , ut hoc ille-  
camento alacrius ad arma concurrerent , cum  
Barbari nullum belli genus magis exoptent , quam  
quod contra Christiani nominis homines geri so-  
let . His copiis paratis & tormentis instructis , ag-  
men versus regnum Fessanum progredi jussit : &  
quoniam maior pars copiarum in itinere se illi  
conjunxerat , quam primum Fessam pervenit , ex-  
ercitum lustravit , qui tum constabat octoginta  
millibus equitum hastatorum & scutatorum , tre-  
decim millibus pedium sclopetariorum , & qua-  
tuor millibus equitum , cum triginta sex tormen-  
tis campestribus . Eo ipso momento , quo Mahame-  
tus exercitum contra Abdelmelecum educebat ,  
nobilis quidam legatus à Sebastiano Lusitania re-  
ge , qui illi nomine regia maiestatis auxilium con-  
tra Turcas & patruum promitteret , ad eum per-  
venit . Sed Mahometus , quod tantum tamq ; for-  
tem exercitum sibi obedire cerneret , superior fa-  
etus : Lusitani regis beneficium contempsit . Itaq ;  
cum patruum Tremissa jam egressum comperis-  
set , eo ardore contra eum perrexit , ut duo exerce-  
tus utriusq ; inter Fessam & Tremissam sibi occur-  
rerint a . d . XVII . mensis Martii , anno M D  
LXXV . Pratum commissum est circa vespe-  
ram , duravitq ; furiosa eius tempestas tamdiu , do-  
nec Mahometi exercitus animo pariter & cor-  
pore defatigatus terga daret . Eius fuga culpa Do-  
gali cuidam ascribitur , qui cum dux Andalusio-  
rum esset , cum bis mille sclopetariis lectissimis à

Maha-

Mahameto ad Abdelmelecum defecit. Quod  
cum Mahamerus (qui mille passuum spacio inde  
post principia sibi cavens & currui insistens, pu-  
gnam eminus spectabat) animadveriisset: tume-  
retq; ne idem exemplum ceteri duces secuti, se  
quoq; cum adversariis conjungerent: è taberna-  
culo suo statim se proripuit, & cum quingentis e-  
quitibus Marocum celeri cursu contendit: mili-  
tibus hostium furori, thesauris autem omnibus &  
opibus suis preda relictis. Ita Abdelmeleccus sine  
multo utriusq; partis sudore & sanguine victori-  
am obtinuit: & certè decima parte sui exercitus  
Mahamerus Abdelmeleci copias facile fundere &  
delere potuisset. Abdelmeleccus vero tam pra-  
clara victoria potitus, satis magnam manum mi-  
sit, qua Mahamerum fugientem insequerentur &  
in potestatem redigerent: ipse verò à Fessanis ma-  
gna latitia exceptus, & ab iis (ut & à ceteris eius  
regni urbibus ac oppidis) rex est pronunciatus.  
Et quoniam febre correptus, afflicta aliquantulum  
valetudine erat, Fessana in urbe aliquantis per  
quiescere decrevit, & Turcarum copias, qui sub  
duce Rabadano regis Argeliani Bassa advene-  
rant, illuc exautorare. Is enim hoc in mandatis  
duntaxat habebat, ut Abdelmeleccum Fessam co-  
mitatus, in possessionem regni cum immuteret. Ita  
Abdelmeleccus Turcas omnes à se dimisit, exceptis  
paucis, qui abeuntibus sociis se occultarant, ut no-  
vo regi gratificarentur, seq; ei subjicerent, qui e-  
runt numero mille & quingenti, omnes strenui &  
fortes viri. Verum ut ad Muleium Mahamerum  
reverta-

revertamur : quām primum is Marocum perver-  
nit , bellum renovare , ex omnibus regni partibus  
milites cogere , apertis thesauris duces sibi conci-  
liare ac milites remunerari , omnes verò sibi do-  
nis diligentius quām unquam antea adjungere  
cepit : id spectans unum , ut ignominiam a patruo  
inustam , praeclara aliqua vitoria elueret & com-  
pensaret . Itaq; ea accuratione & diligentia per-  
fecit , ut decem millia sclopetariorum peditum &  
mille equites , quanquam tyrones , contraxerit : &  
hoc amplius triginta millia equitum hastas &  
scuta ferentium . Quas copias cum viginti quatu-  
or campestribus tormentis in castra eduxit : com-  
meatus verò quantum necesse ad eam profectio-  
nem erat , comparavit . Accidit autem ut & in  
hoc secundo delectu rex Lusitanie ad ipsum cum  
literis legatum denuò miserit , denuoq; auxilia  
contra Abdelmelecum patruum obtulerit . Sed  
idem huic secundo legato , quod primo illi , respon-  
dit : nisi quòd totum exercitum lustratione insti-  
tuta in legati conspectu traduxit , ut intelligeret  
Hispanus , nihil sibi Lusitanis auxiliis opus esse .  
Abdelmeleucus cum Fessa ex morbo se aliquantu-  
lum collegisset , & exercitum suum accessione sexi-  
es mille sclopetariorum , qui à Mahameto trans-  
fugerant , post abitum Turcicarum copiarum (ut  
diximus ) auxisset : exercitum eduxit eo animo  
ut Marocum versus contenderet . Audierat enim  
Mahametum cum ingentibus copiis sub signis es-  
se . Itaq; supra dicta sex millia sclopetariorum &  
viginti millia equitum hastis & scutis armato-  
rum

rum, & duo millia Argeliorum, una cum viginti  
tormentis campestribus secum raptans, & quia  
jam meliuscule habere incipiebat, lectica delatus:  
Maurocum versus ire perrexit. E contra Maha-  
metus de proposito patrui certior factus, cum copi-  
is quas supra diximus, Maroco summa festinatio-  
ne & cupiditate dimicandi, proq; regni jure vel  
cum vita periculo decertandi, celerrime egressus  
est. Et quoniam narratio de acierum ordine &  
instructione, qua uterq; usus est, ad rem quam  
nobis propositam habemus, nihil admodum facit:  
brevi totam historiam completemur. Itaq;, in  
valle quadam, tribus à Sala leucis occasum ver-  
sus distante, secundum maris litora, in loco qui  
Motha Arrajahana dicitur, castra posuerunt:  
ubi a. d. 29. Iunii tertia pomeridiana hora com-  
missum est primum atrox & cruentum, in quo  
modo in Mahameti, modo in Abdelmeleci, par-  
rem victoria inclinabat. Sed Abdelmeleucus dux  
prudens & peritus, cum noctem instare, suosq;  
quamvis omni conatu totisq; viribus jamdiu in-  
cumbentes, victoriam consequi non posse, adversa-  
riosq; fortiter resistere cerneret: è media cohorte  
sua egressus, dextraq; acinacem vibrans, milites  
suos ad redintegrandum primum crebris ielibus  
compellebat: ipseq; inter primos visus, tanta vi,  
tantoq; imperu in hostes se intulit, ut eos turpiter  
terga dare cogeret, è quibus Mahometus primus  
in fugam se vertit. Victoros itaq;, edita ingenti  
strage, hoc novissimo prælio plusquam sex millia  
occiderunt. Abdelmeleucus vero fratrem Hame-  
tum

ium ad Mahametum persequendum misit , datis  
illi aliquot equitibus levis armatura : ipse vero  
paulisper, dum mortui sepelirentur, commoratus,  
cum toto exercitu Marocum versus ire perrexit.

## C A P . V I .

D E M V L E I O M A H A M E T O E  
P R A E L I O I N M O N T E M A T L A N T E M  
fugiente : deq; Abdelmeleci in urbem Ma-  
rocensem regio ingressu & tertia contra  
Mahametum victoria , qui toties  
victus se ad regem Lusitanie  
ceu patronum con-  
tulit.

M vleius Mahametus admisso equo salutem  
sibi fuga querens, Marocum septē aut octo  
hastatis comitatus, non sine magna suorum infamia  
peruenit : cumq; palatum ingressus esset, è thesan-  
ris suis quantum commodè auferre potuit, deprom-  
xit & quing; mulis imposuit: & non ultra duas ho-  
ras moratus, in fugam se conjecit : patrui turmas,  
que non procul aberant, evadere approporans.  
Cumq; hoc modo paucis equitibus comitantibus  
exiisset, laxatis habenis versus montem Atlantem  
(quem incole Clarium hodie vocant, quig; sex leu-  
cis Maroco distans, asylum & refugium est pro-  
scriptorum, exulum & eius regionis latronum ) sum-  
ma celeritate contendit. Ceterum ut relieto in At-  
lanis montis jugis Mahameto ad Abdelmelecum  
revertamur: Abdelmeleucus quamprimum vietri-

etia spolia legit, nulla mora interposita, cum exercitu Marocum perrexit: ibiq; octavo à prælio die appellens, tanta pompa ac latitia exceptus est, quanta nulla in regionibus illis antea visa fuit. Magna enim boni, comis, affabilis & erga pauperes calamitososq; pii hominis famam de se excitaverat, eratq; aliis plurib. virtutibus eximie præditus. Accedebat huc insolentia & tyrannis Muleii Mahometi, qua Abdelmelecum gratosum & omnibus charum reddebant. Quam primum urbem est ingressus (id quod factum est a. d. XV. Iulii anni eiusdem) politicum regni suum statum constituer cepit: ut non modo fortitudine in armis & rebus gerendis se strenuum, sed etiam prudentia in constituenda Republica eximum demonstraret. Multas enim leges à maioribus suis latae, multaque statuta abrogabat: humanitate summa & comitate insigni erga vasallos utebatur: largitiones etiam ingentes faciebat & congiaria distribuebat: id agens ac spectans unicè, ut hac ratione famam suam extenderet, & immortalem gloriam supra Reges Africanos. qui ipsum præcesserant, acquireret. Et quanquam ab initio parum gratus erat, precipue quod populus importunitate Turcorum, quos secum habebat, offendebatur, quod hi (ut sunt superbi, impotentes, intollerabiles & exleges) in summa licentia, multis gravibusq; injuriis & violentiis miseros Mauros afficerent: ita tamen paulatim minutatimq; eos per binos & ternos à se ablegavit, ut ad extremum non plus quam ducenti remanserint: quos ipsos tamen lon-

gè à suo convictu & confpectu arcebat, & in ordinem coactos pacifice ac sine noxia agere cogebat. Quare rei effecit, ut subditi in amorem eius conversti, solaq; virtutis eius fama commoti, se illi humiliè obiulerint, omnesq; debitam obedientiam polliciti sint, ac deniq; ex omnibus provinciis certam ingentia splendidaq; munera liberalibus & effusissimis animis attulerint. Erant autem & è Christianis principibus non pauci, qui ex amicitia eius singularem latitiam capiebant: ipse verò è contra animo benevolo eosdem in suam amicitiam recipiebat, seq; eorum familiaritate & gratia florentem, felicem, beatumq; putabat: adeo ut quotidie multi Christiani nominis passim & undig, in ipsius regnum se conserrent, quos ille plus adamabat, plusq; amplexabatur, quam ullum aliud hominum eas regiones adire solitorum genus. Nam stipes plurimas erogabat, & admirabili eos comitate ac humanitate tractabat: multos etiam sine ullo lityro gratis & inusitata beneficentia liberos dimittebat. Sed in hac ipsius liberalitate et magnificentia diutius immorari nolo, præsertim cum bac ipsius præclara opera famæ publico præconio per terrarum orbem notissima prædicentur. Ceterum postquam ad regni culmen pervenit, id primum omnium egit, ut successorem in regno sibi designaret, legemq; à patre Mulcio Mahameto Xe quo latam confirmaret: ideoq; jurejurando obstrinxit, & in fidem fratris sui Muleii Hameti adegit omnes regni proceres: et si is filium tenera adhuc etatis haberet, quē successorem sibi nominare potuisset.

potuisse. Quae res licet proceres admiratione sus-  
pensos tenuit: statim tamen feria & triumphi in-  
credibiles in honorem novi principis & memoriam  
veteris legis celebrati sunt: & avi Xarisi memo-  
ria honorifice per principes usurpata & interpola-  
ta est. Interea Muleius Mahometus, qui se in an-  
gustias montis Atlantis receperat, ea pecunia,  
quam secum Maroco extulit, statim milites ali-  
quos, & inter hos aliquos proscriptos & latrones,  
colligere cepit: adeo ut ad quingentos sclopetarios.  
& ducentos equites, qui hastis & scutis armati e-  
rant, contraxerit. Qua manu instructus rapinas  
exercuit, obvios spoliavit, & vicos locaq; Atlantis  
jugis subjecta infestavit, coëgitq; incolas ut ipsum  
pro domino agnoscerent, ac sibi ceu regi suo tribu-  
ta penderent. His latrociniis et excursionibus cum  
spacio septem aut octo mensium usus esset, Abdel-  
meleucus coactus est copias contrahere, quarum o-  
pera illam insolentiam compesceret, latronesq; il-  
los è latibulis montium depelleret. Ad eam rem  
expediendam usus est opera novi principis Muleii  
Hameti, qui cum copiis ad excursiones faciendas  
in regno Susiano erat. Is & certis in locis Mule-  
ium Mahometum vicit, & manum eius tam pe-  
destrem quam equestrem penè totam delevit, co-  
egitq; ut se densissimis & impeditissimis resquis oc-  
cultaret: in quibus ultra annum delituit, frigore,  
nivibus, aliisq; miseriis & cœli inclemencia tan-  
tum non enectus: & desperatione vita, insidia-  
rumq; metu ( quas illi patruus magnis propositis  
premiis struebat ) miserrime conflctatus. Tan-

dem eò necessitate, durissimo telo, adactus est, ut  
antea repudiatum fastiditumq; Regis Lusitani  
auxilium implorare, eumq; ut ex insidiis & ma-  
nibus patrui liberatum se, in avitum patritumq;  
regnum restitueret, rogare coactus sit. Ea de cau-  
sa è monte Atlante nuncium cum literis ad re-  
gem Lusitanum misit, iterq; per Mazagam face-  
re jussit. Verum ut tutius citiusq; aliquid respon-  
si acciperet, constituit relictis Atlantis jugis, Tin-  
gim se conserre. Itaq; per sylvas & solitudines mon-  
tanas, qua tutissimum & humanis vestigiis mini-  
mè tritum iter erat, non sine magnis et certis peri-  
culis Penonem pervenit: ubi cum paucos dies sui  
colligendi causa substitisset, hinc se Tingim versus  
contulit: ibi à p̄fecto urbis (relictis tamen exte-  
rius copiis) intra mœnia humaniter est receptus.  
Ex illa urbe è ducibus suis duos legatos cum lite-  
ris & duobus Tingitanis nobilibus ad Sebastia-  
num regem misit: & ab illo suppetias, quibus in re-  
gnum patrium restitueretur, petiit. Et quoniam  
prefectus Tingitanus non ignorabat se, si comiter  
regem Mauritanum tractaret, rem gratam regi  
Lusitano facturum: ut hoc iter felicius succederet,  
caravellam seu navem instructam cum supra di-  
ctis legatis Vlysbonam ablegavit: de quorum pro-  
fessione & successu postea dicturi sumus, ubi  
prīus lectorem de quibusdam rebus  
cognitu necessariis admo-  
nuerimus.

DE CAVSIS, QVAE MOVE-  
RVNT REGEM SEBASTIANVM, V.T  
Muleio Mahameto studeret: deque legatis  
eius & apparatu ad bellum: denique  
de regis Marocensis quoque ap-  
paratu ad idem bel-  
lum.

**C**Vm Rex Sebastianus natura ad armorum  
amorem propensiissimus esset, nullam aliam  
voluptatem, quam è bellicis rebus quarebat: qua  
etiam superioribus annis eum Tingim tracicere  
coegerit, eo animo ut Barbariam in suam potestatent  
redigeret, sed irrito conatu. Nam Muleius Ma  
hametus (ut supra diximus) bis sibi à Lusitano  
oblatas suppetias inani stultaq; confidentia repu  
diarat: Sed cum Lusitanus hoc temporis articu  
lo Mauritani regis literis suum auxilium implo  
rari cerneret: sibi cupido laudis, & imperii ac re  
ligionis propaganda studioso, occasionem optatissi  
mam, qua diuturnum suum desiderium explere  
posset, offerri gavisus est. Itaq; legatos Muleii  
Mahameti in Lusitaniam appulsos, magnificè ex  
cepit, & omnium quorum causa venerant, com  
potes fecit: literas quin etiam ad Mahametum  
scripsit: operam suam, auxilium, gratiam obtu  
lit: in paternum regnum restitutionem promisit:  
nullo ex ipsis consiliariis aut proceribus magno  
percè refragante. Et potuit hac causa esse eius con  
ventus, quo inter se ambo reges Catholicus & Lu  
sitanus

fitanus Guadalupèa urbe Castilie anno 1570.  
collocuti sunt. Vbi Catholicus id summo studio  
egit, ut Lusitanum à tali conatu & incepto deter-  
reret: aut si pertenderet, nec à proposito deduci  
posset, ut bonis auspiciis negotium susciperet, rebus  
omnibus necessariis ad id optimè comparatis. Sed  
cum Lusitanus nullo pacto de sententia dimoveri  
posset, rediit domum: quò mox Catholicus legatos  
quoq; suos eadem, qua ipse præsens cum Lusitano  
egerat, asturos misit. Rex enim catholicus non  
ignorabat, quibus viribus, quaq; potentia rex Bar-  
barus præstaret, & quām peritus rerum ac exer-  
citatus & fortis esset: quantum etiam apparatum  
tanta res requireret, à quo regem Sebastianum  
turpiter adhuc inopem esse sciebat. Sed Lusitanus  
constans in suscepta semel sententia permansit:  
cumq; res ad eam expeditionem necessarias para-  
re inciperet, principio delectum militum maxi-  
mum in suo regno haberi jussit, misitq; qui in Ger-  
mania quinq; millia militum conscriberent: lite-  
ras etiam dedit ad equites aliquos Andalusios, ut  
veteranos milites evocarent. Adhac magnum  
numerū tormentorum, armorum, caterarumq;  
munitionum comparari & commeatum compor-  
tari jussit, & ut hæc omnia commodius transpor-  
tari possent, in omnibus portubus regni sui naves  
retineri mandavit. Militum, quos è regno suo co-  
egit, magnus numerus fuit, sed male instructi, ty-  
ronesq; illi erant, & ex colonis, rusticis & turba  
ad bellum parum idonea collecti. Quod verò ad  
Germanos attinet, ii & tyrones & rei militaris

imperiti

imperiti erant : cumq; Vlysonam pervenerunt,  
morbo correpti ultra duo millia perierunt. Vene-  
runt autem ad regem etiam sexcenti Itali, quos  
Papa subministrarat Comiti Irlandia : qui cum  
Vlysonae tribus instructis navibus appulisset, regi  
operam suam condixit, cumq; in bellum sequi pro-  
misit. Ceterum rex ipse publicè per tubicinem in  
toto regno promulgari jussit, ut omnes vasalli no-  
biles, nisi creditibus, censibus & omnibus privilegiis  
à rege sibi concessis, spoliari mallent, se ad bellum  
comitarentur. Rebus igitur necessariis exercitui  
comparatis, & navium lemborumq; satis magna  
copia coacta : tormenta, commeatum, munitiones,  
equos & alia necessaria navibus imponi jussit, ut  
cum D. Ioannis Baptista dies (quo domo exire de-  
creverat) appropinquaret, nihil esset quod exer-  
citum, quò minus navibus imponeretur, & in A-  
fricam transportaretur, impedire aut retardare  
posset. De his rebus cum Abdelmeleccus rex Ma-  
ritania jam admonitus, & quid contra se rex Lu-  
sitanus conaretur, certior factus esset : magnum  
ex eo cepit dolorem : non tam quòd à rege Lusita-  
nia sibi metueret, quam quod erga Christianæ re-  
ligionis homines bene affectus erat, Africam misere-  
ri regis Lusitani (etsi triplo maiores secum copias,  
quam habebat, adduceret) sepulchrum futuram  
animo pravidebat. Itaq; in hanc sententiam ver-  
ba cum fecisse constat : Regem Lusitanum diligen-  
ter debere cogitare, quam justam legitimamq; in  
Africam proficisciendi causam habeat. Nam quòd  
is regnum ei eripere, ad quem iure successionis

pertineat, & ad Nigrum transferre conetur, idq<sub>3</sub>  
nullo Christiani orbis cum emolumento aut utili-  
tate: id Dcūm Opt. Max. qui justus judex sit, ne-  
quaquam permisurum. Verum enim verò Abdal-  
meleucus, ut homo acuti ingenii, summaq<sub>3</sub> in eius-  
modi rebus diligentia & providentia, cepit & ipse  
se ad bellum parare, & de rebus ad id necessariis  
cogitare. Tabernacula igitur in campo una leucta  
à Maroco distante extendi: bellumq<sub>3</sub> per totū su-  
um regnum publicè Christianis denunciari jussit:  
qua res peroptata accidit Mauritanis omnibus.  
Magnum quinetiam numerum tormentorum,  
ac pricipuè campestrium: commeatus item, & e-  
quorum camelorumq<sub>3</sub> (qui necessaria exercitui  
portarent) infinitam copiam parari mandavit.

His sic provisis, cum audisset regem Lusitanum  
jam jam naves consensurum & Arzille appulsi-  
rum: ipse quoq<sub>3</sub> Maroco a. d. XVI. Aprilis ma-  
gno populi plausu, infinitoq<sub>3</sub>, ferè hominum comi-  
tatu, in castra egressus, exercitum suum sub pellos  
duxit: sub quibus ultra XX. dies moratus, reli-  
quas copias expectavit. Hinc parvis itineribus Ar-  
Zillam versus sub signis agmen promovere cepit:  
utq<sub>3</sub> cum iis copiis, quarum in expectatione erat,  
commodius se conjungere posset, ad Teme-  
cenam, que est in regni sui si-  
nibus, paulisper sub-  
stituit.

DE REGIS LVSITANI EX  
VRBE VLYSBONA EGRESSV: ET  
ciusdem apud Gades, Tingim & Arzillam  
appulsu: deque conditionibus seu pa-  
ctis inter ipsum & Muleium  
Mahamerum in-  
itis.

**R**Ex Lusitanus verò, cum jām toto animo in bellum propenderet, priusquam naves cōscendit, per totum suum regnum supplicationes & preces publicè fieri jussit, ut his auspiciis felicem à Deo successum, & contra hostes victoriam impe- traret. Ad eam rem sanctissimus pater Papa Rom. (ut misericors est, & nihil aliud quām sa- lutem suarum ovium spectat) regi misit legatum & commissarium suum cum largissimis (ut ipse appellat) indulgentiis, gratiis & privilegiis, pro omnibus qui tam sancta expeditione se conjunge-rent. Tandem ad diem D. Ioanni sacrum (quo die magna celebritate res sacra & pompa pontifi-calis Vlysbona publicè traducitur) totus exerci-tus navibus est impositus: postridie verò summo mane Rex Sebastianus (nominatis prius septem regni prefectis ex primoribus, quod Cardinalis, patruus eius, administrationem regni recusasset èo quod rex ad preces ipsius de expeditione desi-stere noluisset) oram solvit, & in altum vela dedit a. d. XXVI. Iunii una cum X. aut XII. na-vibus, quas Galatas vocant, in quibus tota prope-

modum eius regni nobilitas vobebatur. Maris  
sum summa malacia & tranquillitas erat. Clas-  
sis totius exercitus Vlysbona solvens, constabat ad  
summum ex maiorum minorumq; naviiorum  
mille & trecentis velis: aspectu adeo jucunda, ut  
multi talem classem ex eo tempore se non vidisse  
dicerent: cumq; haberet secundum ventum, Ga-  
dibus appulit, pridie Divorum Petri & Pauli.  
Rex summa gratulatione & latitia populi sui ex-  
ceptus, ibi substitut per XV. dies, ut res necessarias,  
qua sibi deerant, compararet: utq; aliquot Hispan-  
orum copias, que ex Andalusia adducebantur,  
secum una transportaret. Quibus rebus confectis,  
navem concendit a. d. VIII. Iulii, & Gadibus  
solvens Tingim versus cum Galeatis navibus per-  
rexit, reliquam vero classem Arzillam versus ire  
jussit. Nam Mahometum, qui Tingi ipsum solici-  
te & attente expectabat, alloqui prius, volebat.  
Itaq; a. d. IX. Iulii regia naves Tingi appulerunt,  
sed priusquam rex in portum perveniret, in eius  
occursum cum myoparone misit Mahometus fili-  
um suum, puerum X. fere annorum, nomine Mu-  
leium Xequum, qui humaniter & comiter a rege  
est salutatus. Verum Rex in terram egressus, ma-  
jora benevolentie & amicitiae signa Mahometo  
exhibuit, suamq; operam & auxilia ad restituendu-  
m eum in regnum, liberalissime obiulit. Ma-  
hametus in regis conspectu constitutus, et si jam  
antea satis enim & per literas & per nuncios de  
sua voluntate certum fecerat: ut tamen rebus su-  
is intius consuleret, tum temporis uberioris proli-

ximq<sub>z</sub> coram, quid animi haberet, eidem oratione  
sua apéruit, docuitq<sub>z</sub> quomodo patruus Abdelme-  
leci regnum sibi per vim extortum, Turcicis vi-  
ribus & auxiliis innixus usurparet. Addebat  
etiam illud, Abdelmeleci vasallos & clientes nihil  
aliud agitare & in eo totos esse, ut ipso per insidias  
caso, aut ad minus derelicto, ad se transirent: deq<sub>z</sub>  
eo se sine intermissione à proceribus regni literas  
accipere asseverabat, quibus literis pollicerentur  
se in castra ipsius transituros, quām primum vel  
parvis copiis ipse contra hostem moveret. Quin-  
etiam regi Lusitano persuadere volebat, ne ma-  
nus cum Abdelmeleco consereret: sed ut castra  
tantum metaretur: quod si fecisset, futurum ut mi-  
lites patrui suistatim imperata sint facturi. Pro-  
misit insuper se duos aut tres portus maris Barba-  
rici cum eorundem agris traditurum: & in eius  
rei fidem obsidem dedit filium suum. Lusitanus  
qua erat liberalitate & magnanimitate natura,  
in omnibus istis Mahometi fidem habuit, & sine  
ullis conditionibus, pactis & fiducjussoribus, petitio-  
ni eius assensit. Hinc cum Mahamoto Arzillam,  
ubi exercitus eius horebat, perrexit: ibi Muleius  
Xequus copiis patris precerat, secumq<sub>z</sub> habebat  
Tingitani prasidii peditatum & equitatum. Rex  
Arzillam pervenit die dominico, qui erat **XIIII.**  
**Iulii**, & quām primum ē navi in littus egressus est,  
tormenta, commeatum, & reliquum apparatus  
bellicum exponi jussit: quatuor vero navigia in-  
structa MaZagam misit, ut Muleium Xequum  
obsidem suum cō deducerent. Castra vero propè

muros Arzilla ponis; eaqz, aggeribus & fossis, ut tu-  
tius securiusqz illic tenderet, circumvallari jussit.

CAP. IX.

DE ABDELMELECO, QVO-  
MODO IS IN ITINERE MORBO COR-  
reptus sit, & quomodo se cum fratre con-  
junxerit: de Iustratione totius exerci-  
tus ipsius: de copiis regis Lusi-  
tani, eiusqz ex Arzilla  
egressu.

**S**ed, ut ad Abdelmelecum revertamur: quam  
primum is Temocenam pervenit, magna mul-  
titudo equitum hastatorum, scutorum, aliaqz,  
multe copie se cum illo conjunxerunt. Verum tri-  
duo postquam eò perivénit, in gravem morbum in-  
cidit: cuius tamen causam nemo tum intelligebat.  
Sed paulo post cum ingentem stomachi cruciatum  
sentiret, facile intellectum est eum inde ortum ha-  
buisse, quod lac avide gustasset, quod illi in ventri-  
culo coagulatum, concretumqz, coisset. Id ut ejice-  
ret, bidui & tridui fere inani conatu vomitum eli-  
cere (ut in more habebat) tentavit: & sic tandem  
magnam casei turundam rejecit, que illi ventri-  
culum adeò debilem & languidum reddidit, ut  
deinceps nullum cibum concoquere potuerit. Ad  
quod malum accessit etiam durum parumqz, com-  
modum hospitium, quod morbum auxit. Ceterum  
quamprimum audivit, regem Lusitanū Gadibus  
soluisse ut Arzillam navigaret, quanquam tum

temporis

temporis parum bellè haberet, agmen procedere, et  
Arzillam versus tendere jussit, ipse in lectica dela-  
tus. Iamq; aberat ab AlcaZara (ubi eum frater  
cum exercitu expectabat) non longius itinere uni-  
us diei: cui cum appropinquaret, adventus ipsius  
in argumentum latitiae crebris tormentorum icti-  
bus exceptus est. Positis tandem illic castris & ta-  
bernaculis tensis, coactus est aliquot dies ibi com-  
morari, tum ut reliquias copias expectaret, tum ut  
vires suas morbo debilitatis recuperaret. Itaq;  
quamprimum copia illæ, quas expectaret, advene-  
runt, totum exercitum lustravit: invenitq; XV.  
millia peditum sclopetariorum: è quibus V. millia  
veteranorum lectissimorum erant: reliqua pars,  
tyronum & nullius experientiz. Accedebant duo  
millia Argoletorum, & XLII. millia Alarbum  
hastatorum equitum, scutis tectorum. Habuit &  
XXVI. tormenta campestria, optimè instructa, et  
artifices tormentarios in eo negotio valde dextros  
& agiles. Totus insuper exercitus commen-  
egre-  
giè instructus, ac militibus stipendia liberaliter  
distributa & diribita erant: quod præcipuum in  
re bellicâ opus est, & quod imperator ac duce belli  
in primis cura habere debet. Miles itaq; singulis  
mensibus aureo nummo solvebatur: itaq; omnes citi-  
am pro Abdemeleco extrema pati & vitam su-  
am pro illo impendere parati erant: exceptis equi-  
tibus Alarbum, quibus parum fidebat, ut pote non  
ignarus eos perfidie plenos esse, nec ulli alii rei stu-  
dere quam ut prædas agant & rapiant indecunq;  
possunt. Et ut brevi complectar, in nullis plus con-  
fidentia

fidentia habebat, quam in quinq<sup>u</sup> millibus illis ve-  
teranorum sclopetariorum. Sed quod maximè o-  
mnium Abdelmeleco doluit, hoc fuit, quòd in tan-  
to tamq<sup>u</sup>, periculoso prælio (in quo, nisi de regni  
summa periclitari vellet, ipsum presentem adesse  
& administrare oportebat) se tam debilem, mor-  
boq<sup>u</sup>, adeò fractum sentiebat: quem morbum Ca-  
nicula ardentissimum sydii angebat. Tenuit se il-  
lic per octo aut novem dies, donec rex Lusitanus  
nolentem etiam, progrederi et castra ad AlcaZarem  
quib[us] ponere coëgit. Interea rex Lusitanus Ar-  
Zilla egressus, & ad iter accinctus, totum & ipse su-  
um exercitum lustravit: in quo (ultra mille sti-  
pendiarios, quos in classis præsidium reliquerat, &  
duo millia que Mazagam miserat) habuit qua-  
tuordecim millia peditum & duo millia equitum,  
magna ex parte armis tectorum. Adhac acce-  
debat tria millia fossorum & plus quam mille  
auriga, & infinita ferè multitudo lixarum, calo-  
num, servorum, aliorumq<sup>u</sup>, mancipiorum Mauro-  
rum, mulionum, mulierum & Amazonum (quas  
Galli per jocum filles de joye, id est, filias gaudii ap-  
pellant) Nam è res devenit, ut bellum à nobis si-  
ne eiusmodi limatibus non videatur geri posse. Ita  
ut rota illa incondita impedimentorum turba,  
Vigintisex hominum millia superarit. Prater hac  
habuit triginta sex tormenta campestria: item  
mille & centum currus plenos storeis, vasis & sup-  
pellectile pro nobilibus duntaxat. Potuit quidem  
maiores copias in eam expeditionem ducere, tam  
ex Hispania quam ex aliis regionibus: sed verbis

Muleii Mahameti, qui Abdelmeleci exercitum ad se transitum dicebat, fidem habens, multos Hispanos, qui Gadibus naves ascendere cupiebant, exautoravit: multò verò facilius illis missionem dabat, qui sub pretextu adversa valetudinis domum remitti petebant. In exercitu qui eum sequebatur, erant tria millia Germanorum, sexcenti Itali, duo millia Hispanorum, sexcenti milites Tingitani, duo millia velutum & quingenti; quibus pricipue confidebat. Reliqui erant Lusitani. Habebat & duo millia equitum: quorum dimidium Tingi abduxit, reliquum erat ex nobilibus Lusitanis & eius vasallis ac clientibus. Et harum copiarum maior pars parce & malignè stipendia accipiebat, inopiaq; & aliis multis malis laborabat. Iam enim commecatus deficere incipiebat, qui tam parce illis distribuebatur, ut multi fame extinti sint. Cuius rei causa omnis penes prefectos annona fuit, qui plerumq; malis suis artibus principes & duces bellū in extremas calamitates consiciunt. Quod verò omnium pessimum fuit, maior pars exercitus è tyronibus constabat, qui sine peritia rei militaris erant, nec unquam aciem aut castra aspicerant. Ut omittam octo milia illa, qua hastis pralongis erant armata: quo genere militum ad bellum in Barbaria gerendum nihil est inutilius aut ineptius, ut eventus postea docuit. Lustrato per regem Lusitanum exercitu, Abdelmeleucus jam Alcazaram pervenit cum exercitu furoris & ira pleno. Quae res effecit, ut consiliarii regem Lusitanum rogarent, ne ullo modo

modo acie decertaret, cum adversarii ipsum copias & viribus longè vincerent: sed potius ut Larissam cum exercitu tenderet, locumq; illum munitione caperet, rebusq; suis pravideret & consuleret. Ceterum Abdelmeleucus, cum per singulas ferè horas, quæ in castris Christianorum gererentur, per exploratores cognosceret: & quam invalide Lusitano copia, quamq; frigidè omnia administrata essent, compertum haberet: ideoq; miserum regem in juvenili atate constitutum, ruinæ proximum videret: omnibus modis id egit, ne manum conserere cogeretur, quod alioqui erga Christianos non pessimè affectus esset. Itaq; per certos quosdam homines, eosq; ferè mercatores, clanculum & occultè id operam dedit, ut Lusitanum de dolis & fallaciis Mahameti (qui eum in hac pericula, tamq; presentem ruinam & vita discrimen adduxerat) certiorem redderet. Quanquam autem hac Abdelmeleci consilia Lusitano non ignota erant, & ipsius consiliarii eadem qua Abdelmeleucus suaderent, atq; a proposito deducere conarentur: ille tamen omnia ista pertinaciter contempsit, non tantum ut ardens pugnandi desiderium expletret, viresq; suas & spiritum magnanimum pericitaretur: sed etiam quod Mahameti promisit, quibus plurimum fidei inesse credebat, præcipue confideret. Et ut in pauca conferam, consiliarii ipsius id unum agebant, ne rex ad pugnam descendere, sed ut potius Larissam contenderet: tantumq; increpando urgendoq; perfecerunt, ut suis monitis rex tandem manus dans Larissam versus tendere

derē decreverit. Itaq;<sub>z</sub>, classe Larissam versus, navi-  
gare jussa, ipse pedestri itinere a. d. XXIX. In-  
lis (qui erat dies Martis) Arzilla egressus, per tri-  
duum itineribus parvis ( propter multitudinem  
impedimentorum qua cum sequebantur ) factis,  
die Veneris substitit, quod aliquid subsidii Arzil-  
la expectabat. Die Sabbathi summo mane castra  
movens, tandem juxta fluvium urbis Larisse  
(quod MaZaga dicitur) consedit, custodiis & sta-  
tionibus ( propter Mauros passim palantes ) pro-  
more suo diligenter dispositis.

### C A P. X.

DE REGE A B D E L M E L E C O  
IN PLANICIE ALCAZARÆ PER-  
gente: dequé Lusitano, qui omisso itinere  
versus Larissam, obviam ivit hostiam pro-  
pinquo: dequé Abdelmeleco ad pu-  
gnam separante die Solis, qui  
erat tertius Augusti  
mensis.

**A**bdelmeleucus eo tempore valde debilis &  
infirma valetudinis AlcaZara hancens, et si  
intellexit Lusitanum Arzilla egressum, ad fluvium  
Mazagam consedisse: loco tamen se movere  
noluit, priusquam ex exploratoribus cognovit ho-  
stes AlcaZaram versus tendere. Volebat enim per-  
mittere, ut hostes Larissam occuparent, existi-  
mans fore ut Lusitanus ea occupata contentus, il-  
luc rediret unde venisset. Sed cum comperisset ho-  
stem

stem die Sabbathi mane ulterius pergere: eodem tempore & ipse castra movit, & per Alcazaram Arzillam versus ipse quoq<sub>3</sub> perrexit. Cumq<sub>3</sub> paulo plus dimidio leuca, hoc est, ultra mille passus cum agmine progressus esset, castra in excelso quodam colle posuit, in conspectu Lusitanoru<sub>m</sub>, qui leuca spacio à dicto tumulo aberant, & in ampla a jucunda planicie castra metati erant. Cum secundum decursum Alcazara fluvii esset, iussit in ipsius ripa tentoria erigi, non procul à confluentे alterius fluvii qui Larissam petit. Meridie jam transacto, in tentoriis cum exercitu ab astu se refecit, in lectica ipse requiescens. Interea misit aliquot equites, qui certiora de hostibus referrent: pro stationibus verò collocavit milites, qui prohiberent ne è suis castris aliqui ad Lusitanum & Muleium Mahometum transirent. Rex Lusitanus cum die Sabbathi mane ad fluvium Larissa pervenisset, ibidemq<sub>3</sub> castra sua posuisset, eo in loco ubi ad traducenda tormenta vadum reperiri posse existimabat: sed eo animo esset, ut Larissam progredieretur: ibi Mahometus homo callidus, maliciosus & fradulentus, cum cogitaret fore ut si Lusitanus Larissam urbem ingredieretur, & Abdemelei vires ac exercitum potentissimum consideraret, is infecti re domum rediret, & se ibi desertum solumq<sub>3</sub> inimicis suis objiceret: constituit ea die cum Lusitano colloqui, cumq<sub>3</sub> de itinere, quod Larissam versus proposuerat, dehortari: & ut id commodius conficeret, cœpit callidis verbis commemorare, quod multi Mauri equites ad se  
ab

ab Abdelmeleco transiissent, quodq; reliquus exercitus idem facere conaretur. Quod si ipse Larissam iret, fore ut quasi timidus & in fuga salutem ponens ab omnibus reprehenderetur. Esse Abdelmelecum nudum ab amicis: ab ipso enim milites duriter tractari: eosq;, ideo ipsi tendere insidiis, ut eum aut trucident, aut in ipso negotio deserant. Melius & consultius esse, ut AlcaZaram versus eat, præsertim cum hostis, qui in occursum veniat, nequaquam tantum audaciæ sibi sit sumturus, ut ipsum impedire conetur. Adjecit & alia argumenta ad propositum facientia: quibus id effecit, ut Lusitanum de Larisseo itinere deduxerit: & sanè aliqui in tanta hostis propinquitate pergere difficile illi erat. Die dominico, summo mane Lusitanus castra movit, & secundum ripam fluvii ascendit, ut ad regiam viam, que ArZilla AlcaZaram versus ducit, perveniret: cumq; vadum quoddam invenisset, constitit, mandavitq; fossoribus, ut in posterum diem viam paratam haberent. Abdelmeleucus verò Lusitani consilio intellecto, tuba signum dari jussit, ut omnes se armarent. Itaq; jam meridie transacto, è castris egressus, reliquoq; iis firmo presidio, perrexit contra hostem ire. Cumq; ferè per quartam partem leuca progressus esset, constitit & exercitum suum respirare jussit, donec cognosceret, quid hostis, qui circiter dimidiam leucam inde aberat, in animo haberet. Nam (ut diximus) Abdelmeleucus constituerat prælio prius non decertare, quam id Lusitanus prior expereret. Lusitanus cum secundum Larisse

D fluvium

fluvium castris positis, audiret hostem contra se  
tendere, coactus est castra movere & aciem dis-  
ponere: non quidem preliandi causa (quia vado  
fluvius transiri sine summa difficultate non po-  
terat, & erat magna manus Maurorum, qui levi-  
bus praliis continuè eius milites lacescebat) sed  
ut se muniret, & fluvio ingenti instar muri contra  
hostem uteretur. Hoc pacto duo illi exercitus, dum  
alter ab altero pralii initium expectat, per reli-  
quum illius diei se continuerunt. Itaq; cum jam  
ad vesperasceret, & Abdelmeleucus Lusitanos se lo-  
co non movere videret: et si principes eius ad con-  
serendas manus & signum pralii dandum urge-  
rent: quia tamē nox instabat, receptui cani jussit,  
et in castra exercitum reduxit. Sed tamen per tu-  
bicum in castris edixit, ne quisquam illa nocte  
arma poneret: quin & excubias, sicut & prece-  
dente nocte duplicari jussit, ne quisquam è castris  
suis ad Muleum Mahometum transfigere pos-  
set. Et certè hæc custodia causa fuit clavis Ma-  
hameto: quandoquidem nemo è statione sua aut ta-  
bernaculo discedere ausus est. Ipse interea Abdel-  
meleucus toto animo in pralium intentus erat. Nam  
cum eo die multos equites & abjurata fidei homi-  
nes è castris suis fugisse inaudisset: meiuaretq; ne,  
si certamen postridie detrectaret, maior pars exer-  
citus deficeret: non amplius cessandum sibi ratus,  
ulterius progredi et Martis aleam tentare decre-  
vit. Itaq; in castris per tubicum significari jussit,  
ut omnes essent in procinctu, vel vivere vel moi-  
parati.

## CAP. XI.

DE CONCIONIBVS REGIS  
SEBASTIANI ET ADELMELECI,  
quas ad milites suos habuerunt, prius-  
quam ad manus venirent, & de  
ordine duorum exer-  
cituum.

Postquam Rex Lusitanus hostes se in castra recepisse vidit, idem & ipse fecit: rursusq; eo in loco, unde paulò ante egressus est, castra posuit. Ea nocte habitu principum concilio, constituit postero die (qui dies Luna erat) copiam pugnandi hosti dare. Et constans omnium fama est, Mulem Mahametum consilium dedisse, ut postridie sub vesperam prælum cieretur: non tam quod hac ratione milites Abdelmeleci commode ad se transire possent, quam quod is propter noctis obscuritatem, nullum remedium habere posset, si qua confusio in ipsius exercitu oriretur. Hoc consilium, ut bonus et salubre, ab omnibus approbatum fuit: ideoq; eadem nocte rex Lusitanus in castris mandari jussit, ut postridie (qui erat dies Luna) prima luce tormenta & impedimenta per vadum celerimè traducerentur. Nam si diutius morati fuissent, adversarii hanc dubiè ipsos transitu prohibuissent: que etiam causa fuit, cur prælum non sub vesperam, sed maturius commissum fuerit. Vado ad transeundum preparato, statim exercitus traductus est, & castra ultra fluvium posita sunt: rexq; simul ordinare aciem, explicare catervas

& tormenta locis idoneis collocare cepit. Prolixam verò ad milites concionem habuit, exhortatusq; eos est blando & comi sermone, adhibitisq; argumentis efficacibus, ut se ad honorem Dei & incrementum religionis Christiane periculis fortiter offerrent: promittens ingentes opes, gratiam, honores & privilegia: deq; victoria spem optimam habere jubens, præsertim Deo adjuvante, in quo omnem spem fixam haberet. Idem faciebant pro virili purpurati, qui regem in hanc expeditionem secuti erant: nimirum Episcopi Conimbricensis & Portuensis: commissarius item Pontificius & alii plures sacri ordinis homines. His adhortationibus totum antemeridianum tempus consumtum est, resq; extracta ad horam undecimam usq;. Abdelmeleucus è contra animadvertisens Christianos instrutto agmine accedere: ipse quoq; per castra signum dari jussit, ducibusq; mandavit, ut milites è castris eductos, in ordinem quem prescriperat disponerent, ut inferius in peculiari tabella videre licet. Et quoniam ob morbum membris debilis, colore pallidus & luridus erat: & propter paralysim brachiis nullo modo uti poterat: qui prudentiores cautioreq; & consiliariis erant, dehortabantur ne ipse præsens in prælium ire vellet: quibus ille neutiquam consentire volebat: sed cum plusquam viginti diebus equum non ascendisset, lecticam suam relinquere constituit, seq; sumtuosissimis vestibus Attalici textus indui, & infinitis gemmis preciosissimis, ac margaritis ex Oriente optimis ornari jussit: equumq; generosum & validum consendit.

Hoc

Hoc modo ad pugnam paratus, suos adhortari ad  
fortitudinem cepit, honores & munera militaria  
opima pollicitus, iis qui se viros gesissent, & strenue  
suum munus administrassent. Quibus verbis &  
pollicitationibus milites suos, in quorum conspectu  
ob adversam valetudinem diu non venerat, ita  
animavit & incendit, ut Martem spirare & in-  
star leonum in præliu ruere visi fuerint. Et quam-  
quam principio aliqui fuerint, qui ipsi insidias ten-  
dere & transfugere conati sint: hic tamen com-  
mutata sententia, summa cum reverentia se illi  
ad eò subjecerunt, ut pedibus eius oscula etiam fer-  
re non sint designati. Tandem exercitu in mo-  
dum semicirculi seu menisci disposito: & in tres  
acies diviso, agmen promovere cepit eo ordine que  
hec tabula demonstrat. Vide signum \* Dext-  
rum cornu (quod litera Q signatum est) du-  
cebat princeps frater Abdemeleci, qui secum ha-  
bebat mille sclopetarios equites lectissimos, nume-  
ro binario notatos. Habuit autem etiam decem  
millia equitum hastatorum & scutatorum, qui  
per circulos o sunt designati. Sinistrum lunula  
cornu (quod litera P signatum est) tenuerunt  
duo millia Argoletorum & decem millia equi-  
tum hastatorum, eodem ordine quo in dextro  
cornu. Hos ducebat prorex Mahamerus Zareo.  
Tertia acies numero quaternario signata (qua  
princeps acies erat, & in qua Rex Abdemeleucus  
constiterat) pedestibus sclopetariis munita erat.  
Hos sequebatur rex pratoria cohorte ducentorum  
abjurata religionis militum circumdatu, qui o-

mn̄es Alabardis seu bipennibus armati erant. In  
subsidiaria verò acie habebat viginti millia equi-  
tum, per bina millia divisorum. Tormenta autem  
campestria in primis scite collocari curavit, que  
(ut supra dictum est) numero viginti sex erant.  
Ceterum Lusitanus aciem suam longè aliter in-  
struxit, ut sciagraphia adjecta indicat. Nam to-  
tum exercitum divisit in quatuor acies quadra-  
tas. In dextro latere, ubi litera B est, primum ag-  
men erat velitum et militum Tingitanorum, eosq;  
ductibat Alvarus Pergius de Tavora. Sinistram  
aciem seu medium tenebant Germani et Itali, qui-  
bus imperabat Marchio Irlandie. Tertiam subsi-  
diariam aciem (que litera C signata est) occupa-  
runt Hispani & aliquod Itali, quorum dux erat  
Alonzo Aquilarius. Quartam aciem (qua litera  
D notata est) tenebant milites Lusitani, sub impe-  
rio cuiusdam nobilis ciuius nationis, cui nomen Lu-  
dovicus Cesar. Singula acies habebant ferè tria  
millia militum, sed alias plures, aliae pauciores. Im-  
perator verò totius exercitus erat Duartus Mene-  
suis, praefectus urbis Tingitana. Ultra has copias ha-  
bebat dextra millia equitum optimè instructa &  
per quingenos divisa, tam in primo agmine & sub-  
sidiaria acie, quam in utroq; cornu, ut videre est  
per literas B. In medio totius exercitus, impedi-  
menta, imbellis turba, currus & servi erant collo-  
cati, ut linea hinc inde ducta ostendunt. Muleius  
autem Mahometus consistebat ad dextrum aciei  
latus, cum paucis militibus suis, quorum summa  
erat ad quingentos sclopetarios & sexcentos hasta-  
tos,

tos, ut ostendit litera F. In fronte aciei collocarat  
rex triginta sex tormenta campestria. Dispositi  
itaq; duo illi exercitus hoc modo per ingeniem &  
ampliam planiciem incedebant: qua ita patens &  
nuda erat, ut nulla neq; arbor, neq; herba, neq; la-  
pis intra duas leucas circu circa aequalibus a me-  
dio radiis occurreret. Acies Maurorum à sinistra  
fluvio AlcaZare vice aggeris aut munitionis recta  
erat: Lusitanus à tergo Mazagam, qui Larissam  
petit, habebat. Duabus autem de causis Alcaza-  
rem fluvium, priusquam intra teli jaustum esset, at-  
tingere cupiebat: primò, ut adversariis ventum  
auferret, deinde ut fluvio pro muro aut aggere u-  
teretur. Sic Christiani ventum satis secundum  
habuerunt, et si solis radii à principio iis adversi  
erant. Nam postea & quidem subito serenitas in  
obscuritatem mutata est, & tempestas adeò nubi-  
la evasit, ut Solis radii nihil molestia attulerint.  
Ceterum cum hi duo exercitus ita inter se propin-  
qui essent, ut intra jaustum plumbea pila essent: cir-  
ca undecimam horam cum semisse Mauritani  
gradum sistere & tormenta dirigere ceperunt.

## CAP. XII.

DE PVGNA INTER REGEM  
LVSITANVM SEBASTIANVM ET AE-  
delmelecum: in qua Maurorum acies ter-  
rupta est: deque mortuo ex vi morbi  
Abdelmeleco: & victoria exer-  
citus cius post mortem  
ipsius.

**A**d diem IIII. Augusti (qui erat dies Lii-  
na) anno salutis nostræ 1578. prælium est  
commissum inter duos reges, circa horam  
12. & Mauri quidem primi tormenta in Christi-  
anos ejaculari cuperunt: sed vix tres globos misce-  
rant, cum ecce Christiani eisdem suis quoq; pilis  
excipiunt: Statimq; Sclopetařii milites ab uirag;  
acie parvas pilas instar nimbi aut grandinis effu-  
derunt, tam horrida, furiosa, terribiliq; tempesta-  
te, ut præ tremore, quem tormentorum fragor &  
boatus excitabat, terra in profundum demergi, &  
cœlum igni, flammis, fulgure, tonitribus tormento-  
rum exardescere videretur. Exoneratis igitur  
tormentis, quingenti armati ex prima acie, quos  
dux de Avero ducebat, in sinistrum Maurorum  
cornu (quod litera P signatum est) impetum sece-  
runt, eosq; dissiparunt, & occisis plurimis, ceteros  
in fugam compulerunt, ita ut plusquam octo millia  
sclopetařiorum & viginti millia equitum hastato-  
rum, (qui Alarbes erant) locum reliquerint, ac  
ferè per viginti leucas diffugientes, de victoria  
Christianorum passim rumorem sparserint. In hoc  
primo congressu Mauri duo equestra vexilla a-  
miserunt, non sine magno Abdelmeleci dolore, qui  
cum in medio agmine equo insideret, videretq; su-  
os turpi fuga laxè & effuse adèò indulgere, ita ira  
& furore incensus fuit, ut quantumvis præ imbe-  
cillitate in equo vix sedere posset, ipse tamen ea  
parte, qua ipsius milites fugiebant, hostem aggredi  
conatus sit, ut inclinatum illud fædeq; disjectum  
cornu repararet & fugientes sisteret, contraq; ho-  
stem

stem rursus converteret. Sed prætoria cohortis milites, cum extremam ipsius debilitatem non ignorarent, sublati habenis quominus ulterius progressi posset, prohibuerunt. Cum vero ut illorum manibus se eriperet, manum capulo admoveere conatur, paralysi brachia manusq; diriguisse animadvertisit. Quia ex re tantum dolorem animo sensit, ut amissa voce in lunatum ephippii arcum procumbens, nihil amplius prolocutus sit, quam ut se ocyus promoverent: id quod factum est, sed ad jaetum duntaxat lapidis. Interea prætoriani regem ex equo sublatum, in lecticam reposuerunt, ubi intra semihoram animam exhalavit. Mors tamen eius callide dissimulata est, dum cum quiete se tradidisse fingerent. Verum enim vero et si Christiani Mauritanos primo congressu vicerunt: reliquie tamen regis Lusitani exercitus hac victoria nisi nescivit. Cum enim nemo esset qui, quod facto opus esset, juberet, aut subsidiarias cohortes in auxilium submitteret: pulcherrimam victoriam e manibus elabi permiserunt: ipsi vero victores milites se eò recipere coacti sunt, unde exierunt. Mauri itaq; cum hanc suorum stragem à solis equitibus editam cernerent, neque quenquam esse qui illis suspectias ferret: mille Argoletos, aliosq; plurimos emiserunt, qui Lusitanos antea victores ea vi in fugam conjecterunt, ut in medium aciem peditum irruentes, ingentem totius Christiani exercitus perturbacionem efficerint. Res in ipso conspectu et presentia regis gerebatur: qui suorum suasum haec tenus in curru commoratus, quamprimum suo

um fugam & inclinationem conspexit, subito in equum armis viridibus & contra quamvis vim validis protectum insiliit: & in hostem duce de Avero aliisq; armatis comitatus, sese intulit. Quanquam autem tanta vi, tantoq; impetu in adversarios invectus est, ut denuò illorum aciem ruperit: cum tamen exercitus Mauritanus loco non cederet, coacti sunt hi equites (qui vix quingenti numero erant) pedem referre: quos Mauri tanto impetu insecurti sunt, ut magno eorum numero occiso, reliquos cœgerint se peditibus inferre, ita ut precipiti & vecordi consternatione irruentes, pondere equorum plurimis protritis & elisis, magnam suorum stragem ediderint. Interea totæ Mahometani exercitus copia de monte decurrentes, ingenti impetu Christianorum aciem invadere ceperunt. In eo conflitu dux De Avero & multi alii nobiles strenuiq; viri ceciderunt: quin & regis Lusitani equus, ipso tamen salvo & illoso, trajectus: & tormenta, qua in hoc pralio Christianis nulli usui fuerunt, capta sunt. Quod ad dexterum Maurorum cornu attinet, eius milites jam inde ab initio pralii nunquam cessarunt grandines pilarum in Christianos effundere: quin & loco se moventes, lunata aciei figura perpetuo conservata, exercitum regis Lusitani circumire, & ab latere postremam aciem adoriri ceperunt. Itaq; Rex (qui jam alium equum recentem considerat) animadvertis possum aciem opus habere subsidio, quingentis armatis, qui huic officio destinati erant, secum raptis, Mauros, qui sub

sub Muleio Mahameto fratre Abdelmeleci  
erant, tertium adortus est: quos ita perterrituit, ut  
coegerit eos ultra dimidiā leucām cedere, occi-  
sis plurimis, reliquis autem dissipatis. Sed cum so-  
lus esset, neminemq; haberet qui se sequeretur:  
magno cum dolore, contraq; animi sui voluntatē  
ad exercitum suum se conferre coactus est, ut ni-  
mirum ad cladēm suam vivis vidensq;, ut dici-  
tur, proficisceretur. Nam Mauri in sinistro cor-  
nu, postquam Christianorum tormenta ceperunt,  
victoriam persequentes, etiā illos Christianos, qui  
ad ripam fluvii erant, ita devicerunt, ut in Mu-  
leii Hameti (qui inter Christianos & fluvium  
se tenebat) stationē invehementur, miserandamq;  
stragēm Maurorum, qui cum eo erant, ederent:  
& multi ex eius militibus in turmas Christiano-  
rum se proriperent. Muleius Hametus fuga sa-  
lutem quarere volens, cum fluvium Larisse cœno-  
sum & palustrem vado transire vellet, ab equo  
(qui è luto eluctari conabatur) strato excussus:  
& cum natandi imperitus esset, submersus & a-  
quis extinctus est. Victores Mauri, victis insisten-  
tes, ad stationem Muleii Hameti fratris Abdel-  
meleci pervenerunt, ibiq; principes Christianos  
undiq; inclusos & quasi indagine cinctos partim  
occiderunt, partim captivos abduxerunt. Nostris  
itaq; sic undiq; circumventi, cum nec pulverem  
tormentarium (nam is incuria militum incen-  
sus jam antea perierat) nec aliud quicquam ha-  
berent, quo se defendarent: aut promiscua cædes su-  
orum maiorum quam hostium stragēm ederent;

in pedes ita effuse se conjecterunt, ut præcipiti fuga  
aliis super alios ruentibus & pondere equorum  
protritis & elisis, miseranda strages facta sit. Cu-  
mulos enim conculcatorum & collisorum, non ali-  
ter atq; manipulus & fasces spicarum in area a-  
cervatim collectos videre licebat. Adversarii  
quoq; qui insatiabili Christiani sanguinis siti tene-  
bantur, cum plumbearum pilarum ictus ingemi-  
narent, non paucos ex suis quoq; una ladebant &  
fœde discerpebant. Quod verò ad octo millia ha-  
statorum peditū attinet, quos Lusitanus in sua acie  
habuit, cum ii nihil aliud egerint, quām ut toti-  
dem hastas barbaro hosti relinquenter, experien-  
tia ipsa docuit, quām parum profuerint in prælio.  
Nam cum his pro totidem sclopetariis ( quos hosti  
objicere debuerat ) rex usus sit : ex iisdem ruinam  
certissimam sibi machinatus est. Et quanquam res  
in summum discrimen adducta erat, Lusitanus  
ramen rex hosti incommodare non cessabat : &  
modo hac in parte, modo in illa, non pluribus  
quām septem aut octo Tingitanis ambactis comi-  
tatus, occurrebat. Lusitani enim nobiles & equites  
adeo ignavi & imbelles feruntur fuisse, ut multi  
eorum relictis equis in aprica loca & currū um-  
bras ad frigus captandum se contulerint, eo ani-  
mo ut cum rem omnem perditam cernerent, ipsi  
fuga sibi salutem quererent. Atq; ita cum par-  
tim pedibus, partim equis Arzillam versus, unde  
venerant, fugere cepissent : tanto impetu Mauri,  
ac præsertim equites ( qui adhuc integri erant ) eos  
prosecutisunt, ut miserandam eorum stragem edi-  
derint.

derint. Rex tamen Sebastianus, suos deserere & fuga salutem querere indecorum ducens, cum suis illis paucis strenue rem gerebat: tot cedes faciebat, tot orco demittebat, ut multi fulmen illum appellarent, paucis sanè aspicere aut contra tueri auderent. Tandem sexaginta circiter milites Abdelmeleci, ex regis cede gloriam quæsitiuri, globo facto eum circumdederunt. Is ergo cum nullam sibi ad effugiendum viam superesse videret, uni ex suis ambactis mandavit, ut candidam fasciam hastæ appensam in signum deditioñis erigeret. At illi, qui eum incluserant ( Alarbes scilicet, genus omnium maximè barbarum & crudelis ) hoc signo in auxilium Lusitanos vocari existimantes: ex omni parte impeiu facto, regem multis locis convulnrarunt, tandemq; ceperunt: & laqueolo galea inciso, duas plagas capiti totidemq; faciei inflixerunt, ut ita de equo precipitatus expirarit. Christianos fugientes Mauri in multam noctem insecuri sunt. Itaq; omnibus viltis, dissipatisq; aut in missoram captivitatem redactis: Muleius Hametus receptui cani jussit, & in castra cum cadavere fratris Abdelmeleci rediit: ad quæ pervenientem nox deprehendit, statimq; & regis Abdelmeleci mors publicata, & eadem opera Muleius Hametus pro rege agnitus & receptus est: magnaq; tristitia, ex desiderio Abdelmeleci orta, totum exercitum tenuit.

C A P.

## CAP. XIII.

DE NOBILIBVS ET MILITI-  
BVS, QVI E PRÆLIO TINGIM ET  
Arzillam confugerunt: deq; numero cæ-  
sorum & captivorum, & de succe-  
sore novo in regno Mau-  
ritaniæ.

**E**T si autem hæc clades divinitus haud dubiè propter delicta nostra inficta nobis est: ducenti tamen aut paulò minus felici successu ex barbarorum manibus elapsi, superstites & salvi evaserunt: è quibus sexaginta equites, reliqui pedites erant: & ex his Antonius Lusitanus, qui per Maurum quendam ex hostium manibus libera-  
tus & Tingim deductus fuit. Ceterum Christianorum hoc prælio occisa sunt plusquam duodecim millia. Totus enim campus corporibus hominum mortuorum: quin & cadaveribus eorum, mu-  
lorum, asinorum, boum & aliorum jumentorum, oppletus erat. Inter nobiliores, qui in hoc prælio ce-  
ciderunt, fuerunt præter regem Sebastianum dux de Avero, Episcopi Conimbricensis & Portuensis, Commissarius generalis à Pontifice missus, Mar-  
chio Irlandæ, Christophorus de Tavora, & plures alii equestris nobilesq; viri, quos brevitatis studio omitto. Die Martis (qui fuit quintus Augusti) tempore matutino rex novus misit cohorem pe-  
ditum, qui mortuos suos in campo cognoscerent: è quibus mille quingentos agnitos, sepultura codem in loco mandarunt: inter quos fuere multi strenui & celebres duces, regis Abdelmeicci amici & familiae.

familiares. His more suo sepulchris, Muleii Mahameti (qui tot malorum & cladium autor extitit) cadaver in litore & arenis fluvii, in quo submersus periit, repertum est. Cadaver regis Lusitani inter Christianorum cæsorum cadavera inventum est per duos ipsius servos captivos, quos novus rex ea de causa miserat circa diluculum illud, promissa etiam libertate, si regis cadaver reperissent. Nudum igitur regis cadaver cum inventissent, vestibus suis coniectum ad novum regem attulerunt: simulq; Muleii Mahameti corpus alatum est. Hac cadavera trium regum in idem tabernaculum delata triste & horrendum de se spectaculum præbuerunt, & spectantibus lacrymas excusserunt. Quid enim tristius, aut visu magis horrendum erat, quam tres potentissimos reges uno prælio defunctos simul jacentes conspicere? quorum unius exercitus ipso vivo vietus, eo mortuo aliorum duorum regum exercitum statim superavit: cumq; omnes tres ad Mauritania regnum aspirarent, nullus ex ipsis eam tenuit. Sed hanc rem humanis sensibus occlusam, & divinae maiestatis occulto judicio reservatam, omisso. Cadaver Abdelmeleci Fessam, circiter vigintileucas Alcazara distantem, lectica est delatum, ut ibi sepultura mandaretur: mortuum comitati sunt omnes equites cum una peditum legione. Cadaver Fessam delatum, magna civium tristitia exceptum, maiorum suorum sepulcro est illatum, eodem prorsus habitu & vestitu, & pretioso gemmarum ornatu, in quo defunctus rex est. Multi

ex nobilibus captivis, regis Lusitani corpus redi-  
mere desiderarunt, & pro lytro decem millia du-  
catorum Muleio Hameto, ut id Tingim mitteret,  
obiulerunt. Sed Barbarus respondit non decere,  
si mortui cadaver vendatur: veruntamen si Tin-  
gi aut Arzilla sibi cedere velint, corpus se illis redi-  
diturum dixit. Verum cum hac res in ipsorum  
manu & potestate non esset: ulterius progredi non  
potuerunt: id tamen à novo rege obtinuerunt, ut  
regis Lusitani cadaver AlcaZaram deferri pate-  
retur: ubi etiam id in Xenodochio (quod est in  
palatio praefecti illius oppidi) sepultum est, apposi-  
tis custodibus, ne per Christianos auferretur. Cæ-  
terum quod ad cadaver Muleji Mahameti atti-  
net, novus rex, ejus patruus, mortuo (quod istan  
tarum cladii autor fuisset) cutem detrahi, eamq;  
salitam stramentis impleri: ac ad deterrendum  
alios, ne similia aliquando tentarent, per omnes  
regni sui provincias circumferri jussit.

### CAP. XIII.

## DE NUMERO CAPTIVORVM: DE NOVO REGE, REGNI POSSES- SIONEM OCCUPANTE: deq; Abdelme- leci & Mahameti regum na- tura & moribus.

**V**Iri, mulieres, pueri, servi, Æthiopes, hoc  
prælio per Mauros capti, numero fuerunt  
ultra quatuordecim millia: iiq; postridie inter  
milites distributi, & per omnes Mauritaniae pro-  
vincias deducti. Nam ut Mauri ex omnibus un-  
diq;

idq; locis ad pugnam confluxerunt: ita quilibet  
eorum suas manubias secum domum ferebat. Cate-  
rūm quanquam consiliarii novi regis unum id a-  
gebant, ut is vel Tingim vel Arzillam obsidione  
cingeret, cum praesertim nemo esset, qui resisteret  
aut propugnaret: id tamen facere recusavit: sed  
potius ad iter Fessanum se adcinxit, ut eius urbis  
possessione capta, omnium regnum hæreditatem  
cerneret: ratus non defuturos sibi alioqui amulos,  
qui se cessante res novas moliri non vererentur. Et  
fuit ille quidem pro rege agnitus, sed invitis omni-  
um animis & quodammodo subringentibus: nec  
ea sanè alacritate, qua alios reges excipere soliti  
erant: idq; ideo quia in hoc novo rege Hameto  
nihil nervorum viriumq; erat: homo iners, negli-  
gens rem militarem, nec eiusmodi qui ad regiam  
dignitatem sustinendam aptus esset: sed è contra  
effeminatus, mollis, delitiis & voluptatibus dedi-  
tus, & domi in palatio delitescens: Annos tum  
habuit circiter XXIX. aut XXX: nigri coloris:  
non crassus, sed procerus tamen & debilis ac nul-  
larum virium: & multo minus peritus rerum &  
compos prudentia eius que in regno administran-  
do requiritur: & ut brevi complectar, plane dissi-  
milis fratri Abdelmeleco. Is enim mediocristatura  
erat, corporis symmetria eleganti, humeris la-  
tis, facie candida, sed colore rubro intermixto, qui  
genus illius egregie commendabat: barba nigra,  
caq; densa & cirris implexa: oculis magnis &  
glancis. Deniq; prorsus elegans, & in omnibus a-  
ctionibus gestibusq; venustus: & corporis viribus

robustus, quas perpetua exercitatione cum in levibus praliis ciendis tum arcubus tendendis tuebatur. Hispanice optimè loquebatur, & quidem summa cum gratia & venustate: sed & Hispanice scribere norat. Italicam verò lingham supra alias tenebat: sed in primis delectabatur lingua Turcica, ita ut Arabicam (qua illi vernacula erat, & in qua pro excellentissimo sua etatis poëta habebatur) p̄ea negligeret. Ingeniosus, acutus & summe prudens, cum aliis omnibus in rebus, tum præcipue in regni administratione fuit. Scitè variis instrumentis musicis ludebat: saltare optimè norat: armis & arte militari supra modum delectabatur, in quibus etiam plurimum se exercebat, adeò ut multa tormenta bellica, quæ adhuc in Mauritania habentur, suis manibus fabricarit. In omnibus enim rebus, quæcunq; aggredieretur, singulari & omnibus admirabili ingenio erat. Et quanquam ipse Mahumetanam religionem colebat, ita tamen Christianos & inter hos Hispanos amabat, ut amorem ipsius & benevolentiam, quā erga captivos plurimos exercevit, verbis exprimere non possum. Hos enim sine ullo precio seu lytro dimissos, in Hispaniam redire permisit: eaq; munificētia & liberalitate intra triennium, quo regnauit, plusquā ducentos libertate donavit. Omitto nunc dicere, quā gratia & comitate captivos tratarit, ne aut prolixior sim quā par est, aut eius amore longius proiectus videar. Sed ne meo præconio opus sit, res ipsa testimonio est, docetq; id Xenodochium, pro agrotis Christianis juxta tem-

plum Marocense edificatum & multis redditibus  
donatum. Mortuus est anno etatis XXXV,  
cum regnasset non integrum triennium: relicto fi-  
lio trium annorum cum semisse, cui nomen Ismaël,  
qui adhuc hodie una cum matre regina, uxore  
Abdelmeleci, Argelia educatur. Quod verò ad  
Muleium Mahometum, ipsius ex fratre nepotem  
attinet, is Abdelmeleco junior fuit, natus circiter  
XXIX aut XXX annos: mediocristatura: cor-  
pore invalido, colore adeò nigro, ut à plerisq;  
pro Mauro habitus sit: præcipue tum cum excande-  
scebat. Ingenio erat perverso: nihil veri loqueba-  
tur: omnia subdole & ficte agebat: armis non de-  
lectabatur, sed (ut in omnibus præliis ostendit) na-  
tura ignavus & effeminatus erat. Christianos ve-  
rò tanto odio prosequebatur, ut à se captos famo-  
aut nuditate enecaret. Quod si hoc bello, necessi-  
tate coactus, aliquam benevolentie in eos signifi-  
cationem dedit: id refragante animo & invi-  
to quodammodo fecit, ut hos ad sub-  
cunda pro se pericula prom-  
ptiores alacrioreq;  
redderet.  
\*

Th̄ Oḡ dō.

EXPLICATIO QVO-  
RVNDAM VOCABVLO-  
RVM GEOGRAPHI-  
CORVM.

HISPANICA.

Lusitania regio est Hispaniae, qua secundum Ptolemeum habet à septentrione Taraconensem Hispaniam, divisam ab ea flumine Durio: ab occasu Oceanum occidentalem, à meridie Anam fluvium: ab ortu lineam ab Ana ad Durium duetam. Sed Strabo hanc regionem aliquanto maiorem facit: sicut & nostra quoq; etas. Portugallia autem hodie vocatur, quasi portus Galliz. Lusitani enim origine Galli sunt. Eorum solertia factum est, ut ab Hispania in Indiam nostro tempore navigetur.

Vlysvona Lusitanie civitas regia est.: Ptolemeo Oliosipon, Plinio Olyssippo lib. 4. cap. 22. quam equarum è Favonio vento conceptu nobilem vocat. Hodie dicitur Lisbona.

Conimbrica item Lusitanie oppidum, ut refert Plinius lib. 4. cap. 21.

Andalusia hodie vocatur regio inter Portugalliam & Granatam, quae olim Turditania, postea à Vandalis Vandalia seu Vandalusia, et tandem Andalusia dicta est.

Gades hodie Calis, in capite Beticæ insula est, ut Plinius lib. 4. cap. 22. Strabo libro 3. Γάδειρα πορθμῷ σενῷ διεγερμένη νῆσος δυτὶ ταχεῖτας.

Fretum

Fretum Herculeum, hodie estrecho di Gibral-  
tar: angustia maris inter Hispaniam & Africam.  
Plinius libro tertio capite 1: Terrarum orbis uni-  
versus in tres dividitur partes, Europam, Asiam,  
Africam. Origo ab occasu solis & Gaditano fredo,  
qua irrumpens Oceanus Atlanticus in maria in-  
teriora diffunditur. Hinc intranti dextra Afri-  
ca est, leva Europa: inter has Asia est. Termini  
amnes, Tanais & Nilus. Quindecim millia passu-  
um in longitudinem fauces Oceani patent, quinq;  
millia in latitudinem. Tam modico ore, tam im-  
mensa aquorum vastitas panditur: qua de causa  
limen interni maris multi cum locum appellave-  
re. Proxima autem claustra montes faucibus u-  
trinq; impositi coercent, Abila Africa, Europa Cal-  
pe, laborum Herculis meta. Quam ob causam in-  
digenæ columnas eius Dei vocant, creduntq; per-  
fossas exclusa antea admisisse maria & rerum na-  
tura mutasse faciem. Meminit & Strabo lib. 3.  
qui plura etiam de antiquo more columnas loco li-  
mitum ponendi refert. Vide proverb. Ad Hercu-  
lis columnas.

## B A R B A R A.

Mauritania apud Ptolemaum in prima Af-  
rica tabula, duplex est, Tingitana & Cæsariensis.  
Tingitana ab occasu habet Oceanum occidenta-  
lem, ad septentrionem fretum Herculeum & Ibe-  
ricum, ab ortu Mauritiam Cæsariensem, à me-  
ridie Getuliam & Libyam interiorem. In hac Pto-  
lemaeus duos Atlantes constituit, maiorem & mi-

norem. Est in ea principale oppidum Tingis, (hodie Tanger, Plinio Iulia traducta) & columna Herculis Alyba.

Barbaria hodie complectitur quatuor regna, Marocense, Fessanum, Tremissanum & Tunetanum.

ArZilla hodie dicitur civitas à Lusitanis capta, qua secundum quosdam Antonio Zilis, Ptolemao Zilia, Straboni Zelis est.

Argelia sèpè fit mentio in hac narratione, qua qualis sit urbs, an qua vulgo Algerum dicitur, an alia, nescio. Reliqui nomen, quale in Gallico libro occurrit.

Atlas mons Mauritania, hodie ab incolis Clarius vocatur: de quo Plinius libro 5. capite 1. ad longum.

Tremissa hodie, olim secundum quosdam Ptolemao Prisciana.

Mecha urbs est Arabia felicis, cum Mahometis fano & sepulchro (quod singulis annis maxima virorum mulierumq; turba superstitionis ergo visitur) tum verò mercatu maxime celebris.


Fortunata insula veteribus dicta hodie Canariae vocantur: qua omnibus navibus in Indiam occidentalem euntibus primam stationem præbent: a vicesimo septimo ad vicesimum nonum gradum ab aquinoctiali versus septentrionem sita. Earum prisca nomina sunt, Pluvialia sive Ombrios, Capraria, Nivaria, Canaria, Iunonia & eodem nomine proxima: sex tantum veteribus cognita:


hodie

bodie septem numerantur: nimirum Gran-cana-  
ria, Teneriffe, Palma, Gomera, Ferrea, Lanza-  
rotta & Forteventura. Vide Plinium libro sexto,  
capite 32. Pompon. Melam libro tertio, ca-  
pite undecimo. Solin. capite vige-  
simo, & Benzonem.  
Finis.

Imprimebatur Noribergæ in Officina  
Catharinæ Gerlachin, & Hære-  
dum Iohannis Mon-  
tani.
















3